DE EPISTOLAE, QUAE BARNABAE TRIBUITUR AUTHENTIA

Ernst L. Henke

DE
EPISTOLAE QUAE BARNABAE TRIBUITUR AUTHENTIA

SCRIPSIT

DR. ERNESTUS HENKE
HELMSTADIENSIS
IN ACAD. IENENS. THEOL. BACC. ET PRIV. DOC.

IENAE,
PROSTAT IN LIBRARIA CROEKERIANA.
1827.

DE
EPISTOLAE QUAE BARNABAE TRIBUITUR AUTHENTIA
COMMENTATIO

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AUGUSTO

MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM - ISENACENSIUM PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DOMINO BLANKENHAYNII NEOSTADII TAUTENBURGII REL.

AUCTORITATE

ORDINIS SUMME VENERABILIS

PRO VENIA DOCENDI RITE ADIPISCENDA

A. D. XV. SEPT. CIƆIƆCCCXXVII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ERNESTUS HENKE

HELMSTADIENSIS

THEOL. BACC. PHIL. DR.

IENAE,

PROSTAT IN LIBRARIA CROEKERIANA.

Saeculo XVII, quum post tot controversiarum varias turbas iam paululum languescerent theologi, idem fere evenit rei theologicae, quod etiam nostris temporibus ei aliisque disciplinis evenisse multi et contendunt et dolent. Si quidem enim duplex distinguitur literarum tractandarum ratio, altera philosophica, historica altera, solentque homines variis temporibus unam prae altera habere in deliciis, nunc alacres suae indulgere meditationi sibique ipsi consulere ausi, nunc languidiores, quid alii cogitaverint, singulatim eruere et suo usui accommodare soliti; in saeculum XVII cadere videtur, postquam de summis rebus diu fuisset et fere ad nauseam usque a theologis dimicatum, coepisse hac aetate theologiam historice magis tractari. Floruerunt hoc tempore, si non Lutheri Melanchthonesque, Erasmi Calvinique, tamen Salmasii, Vossii, Conringii, qui ut distabant ab illis, in aliis maiores illis, in aliis inferiores, pari modo quae per saeculum XVII prae ceteris placuit et quasi praevaluit literarum theologicarum tractandarum ratio diversa videtur ab illa, quam paulo ante secuti erant theologi. Ceterum utriusque et methodi et aetatis virtutes comparare atque vitia neque huius loci est, neque si esset, nostrum esse videretur. Videbatur hoc tantum esse e re nostra, revocare memoriam illius temporis, quo quum tanta diligentia aliorum prae-

fertim veterum fententiae inveftigarentur, patrum etiam ecclefiafticorum tantum exarfit ftudium, ut quae nunc fub nomine patriftices nota eft difciplina, ex illo tempore videatur ducere originem.

Etenim haec erat eadem aetas, qua quae oblivione diu iacuerat fepulta, iterum in lucem prodiit noftra Barnabae vel alius cujusdam — nondum enim nobis licet certam ferre fententiam — epiftola. Baronius quum fcriberet, oblivione illa adhuc premebatur epiftola, quae virum folertiffimum, atque fontis cuiusvis unde hiftoriam hauriret diligentiffimum investigatorem non fugiffet. Attamen apud ipfum Baronium epiftolae mox denuo appariturae prima deprehendimus veftigia. Non folum enim in Annalibus [1]) expofuit ille,non affentiendum effe Tertulliano et illis, qui eum fecuti effent, arbitratis epiftolam ad Hebr. Barnabae effe, quippe in qua minime reperiantur, quae ex Barnabae illa epiftola attulerint patres; quare deeffe adhuc genuinam Barnabae epiftolam in animum revocavit viris doctis. Sed idem iam antea [2]) codicis MS. fecerat mentionem, in quo, quod ipfum quidem latuit, recondita erat quam ipfe defiderabat Barnabae epiftola. Quid fit autem, quod in Turriani codice additum fit Polycarpianae epiftolae exemplo, nondum ab ipfo codicis poffeffore, fed

1) Ad ann. 51.

2) Martyrolog. Rom. Antv. 1613. Ian. 26. not. a. „Exftat epiftola Polycarpi, quam Franc. Turrianus Soc. Jef. longe prolixiorem illa, quae habetur typis excufa apud fe effe Graece fcriptam, cum viveret, teftatus eft: fperamus eam una cum ceteris egregiis vetuftatis monumentis, quae fummo labore collegit, propediem effe edendam.“

diu demum post mortem ejus [3]) videtur esse detectum [4]). Anno autem 1633 plurima, quae de antiquissimis epistolae MSS. scimus, apud Halloixium reperimus. Fit ibi mentio codicum Barnabae quatuor vel quinque, si Sirmondianum addis, qui tamen transscriptus est e Turriani apographo. In quibus omnibus, quum Polycarpi epistolae iuncta sit nostra epistola, licet forsan suspicari ex codice Cardinalis Columnae, quem antiquissimum esse referunt, cetera omnia manasse exempla.

Videntur certe hi codices omnes, qui in eo conveniunt, quod Polycarpi epistolae epistolam Barnabae addiderunt, quodque illius finem huius initium [5])

3) Locum illum Baronii transscripsimus ex editione, quae prodiit anno 1613. Anno autem 1584, quo primum prodiit martyrologium, iam diem obierat Franc. Turrianus.

4) *Petr. Halloixii* vitae eccl. orient. scriptorum Saec. I. Duaci 1633. p. 596: „Sirmondus ad me unum exemplar epistolae Graecae St. Polycarpi misit idque prorsus conforme illi, quod ante a Schotto nostro acceperam: in utroque autem aliena quaedam — sive ex epistola Barnabae, sive aliunde adiecta etc.“ Post, rogatus ab Halloixio Sirmondoque, „Lud. Cresollius iam tum Romae degens rescripsit, consulta ab se inspecta fuisse exemplaria MSS. tum Vaticanae bibliothecae, tum etiam Ducis Altemps (quae antea fuerat Card. Columnae) atque in utrisque idem se observasse, quod in Turriani apographo, ex quo olim epistolam transscripserat Sirmondus: nempe priorem partem esse S. Polycarpi, posteriorem longe maximam, et Barnabae. Codicem columneum antiquissimum esse affirmat.“

5) Miror qui adnotare potuerit *Hambergerus* (Nachrichten etc. p. 132.), quasi prae ceteris accusaturus editionem Cotelerii, desiderari in illa epistolae capita priora. Videtur incaute secutus esse *Stollium* (Nachricht von KV. p. 14.)

non exhibuerunt, in ceteris etiam minime discrepasse. Quod nisi ita fuisset, Hugo Menardus, qui unico illo, quem a Sirmondo acceperat [6]), usus est codice, editurus Barnabam operae pretium sane putasset, ceterorum etiam codicum sibi quaerere copiam, quos plures etiam exstare fere non potuit a Sirmondo non audiisse. Ceterorum, de quibus constat, codicum mentionem fecit Isaacus Vossius. Ei enim licuit praeter Schotani codicis exemplum, quod a Salmasio acceperat [7]), tres insuper inspicere codices, quorum alter Vaticanus idem esse videtur, quem rogante Sirmondo Halloixioque cum horum codicibus convenisse repererat Ludov. Cresollius. Utinam minus festinanter (quod ipse se fecisse fatetur) in Barnabam commentatus esset Isaacus ille Vossius, vir tanta ingenii felicitate eruditionisque ubertate pollens, codicesque, quibus uti ei contigit, utinam accuratius et descripsisset et distinxisset! At fere nihil retulit de MSS. suis. Videntur tamen ii nec multum inter se dissensisse [8]), nec satisfecisse [9]) Vossio, nunc emendatiores codices desideranti, nunc ex vetere interprete, ex Clemente, imo ex suis contra codicum consensum verba emendanti. Semel tantum alicuius codicum dissen-

6) Cf. *Luc. Dacherii* praefat. in Edit. Hugon. Menardi: „In Philastrii Episc. Brixiensis volumen MS. e Corbeiensi Monasterio, quum incidisset aliquando, ibidem proxime post epistolam Tertulliani de cibis Iudaicis Barnabae nomine insignitam epistolam una cum Iacobi epistola deprehendit.“

7) Cf. *Usserius* in Cleric. Edit. Patr. Ap. p. 12.

8) „(Epistola Barnabae et epist. Polycarpi) semper in veteribus libris coniunguntur.“ p. 47. edit. Maderi. cf. p. 48. 53. 54.

9) „Emendatiores codices hoc nos aliquando docebunt.“ p. 53.

ſus fecit mentionem, deſcripſitque locum, qui in uno tantum exhibetur codice, deeſt in ceteris, interpolatoris cuiusdam fraudi illum deberi ratus. Sed haud ſcio an in hac re accedendum ſit Danieli Papebrochio [10]), praeſertim quum hic locus unicum ſit diſſenſus codicum exemplum, idemque tam amplus fuerit tamque ineptus, ut eum totum exhibere Voſſius non putaverit operae pretium [11]). — Addendum hic (quae enim de MSS. graecis deprehendere nobis licuerit, ea iam omnia expoſuimus) Cotelerium dicentem, ineditam ſtichometriam placuiſſe ſibi apponere, exhibuiſſe librorum ſacrum quendam catalogum, in quo inter epiſtolae Iudith et apocalypſeos inſcriptiones inſertum reperiatur: „Barnabae epiſtola DCCCL." (i. e. octingentos et quinquaginta verſus continens [12]), ſed non adieciſſe, an catalogo, undecunque illum acceperit [13]), iuncta eſſent librorum, quos exhibeat, ipſa exempla [14]).

10) Act. Sanct. Iun. Tom. 2. p. 460: „Aegre credo, tam inſulſum inveniri potuiſſe aliquem, qui epiſtolam ſic interpolaverit: potius ergo crediderim, quod cum aliquis Graecae linguae ignarus, membranas alias acephalas inveniſſet, ſimul utrasque fecerit in unum codicem compingi, parum ſollicitus etc. Atque ita tollitur occaſio formidandi, ne, quae alibi reperiuntur, Graeca ſimiliter ſint interpolata."

11) „Sed haec ſatis ad guſtum. Plures enim paginas nugis iſtis impleverat impudentiſſimus iſte nebulo."

12) Alii „MCCCVI."

13) Tradit Semlerus (*Baumg.* theol. Streit. T. 2. p. 3.) extare illum catalogum in bibliotheca regia Pariſ.

14) *Baumgarten* Glaubensl. T. 3. p. 67. legimus, in codicibus illis antiquiſſimis A et D (Claromontano) epiſtolam noſtram etiam exhiberi. Sed hoc non ita eſſe

Extat autem praeter Graeca epiſtolae exempla eius interpretatio quaedam vetus Latina, memoratu digniſſima, quia, etiamſi pars epiſtolae paraenetica in illa ſit omiſſa, exhibet tamen epiſtolae initium, quod, ut iam ſupra monuimus, deſideratur in omnibus codicibus Graecis. Teſtis eſt Lucas Dacherius [15]), qui opus poſthumum edidit Menardi, incidiſſe hunc „in Philaſtrii Brixienſis epiſcopi volumen MS. e Corbeienſi monaſterio, atque ibidem poſt epiſtolam Tertulliani de cibis Iudaicis Barnabae nomine inſignitam epiſtolam una cum Iacobi apoſtoli epiſtola deprehendiſſe.“ Videbatur autem Dacherio haec verſio Corbeienſis „manu antiqua ſine dubio ante annum nongenteſimum eſſe ſcripta.“ Nota erat etiam Uſſerio Voſſioque, nam huic ex Corbeienſi codice a Io. Cordeſio [16]) exſcriptam eam tradiderat Salmaſius, Uſſerio Voſſius. Quod tamen ſeriores [17]) de hac verſione praedicarunt, opus eam eſſe Philaſtrii epiſcopi Brixienſis, id quum nulla auctoritate externa temere contendant, malim cum Gallandio [18]) tribuere cuidam eorum errori, in quem forte inciderint negligenter interpretati locum Dacherii ſupra adſcriptum.

Videmus, in illa, qua epiſtola denuo detecta eſt, ratione nihil ineſſe, quod ſuſpicionem aliquam mo-

teſtes ſunt, qui accuratius codices illos inſpexerunt, *Wetſtein* (Prolegg. ed. Semler. p. 28—61. 75—101.) *Michaelis* (Einl. p. 471—89.) *Woidius* (notitia Cod. Alex. ed. Spohn.).

15) Praefat. edit. Barn. p. 2.

16) *Uſſerius* in Cleric. Edit. patr. Apoſt. p. 12.

17) *Papebroch* in Act. Sanct. Iun. Vol. 2. p. 457. Cf. *Fabric. B. L.* medii etc. aevi T. 5. p. 287. *Eiusd.* Bibl. Graec. ed. Harles. Vol. 7. p. 6.

18) *Gallandii* Bibl. Vet. Patr. T. 1. p. XXXVII.

veat contra eius authentiam. Iam vero quaeritur, quibusnam argumentis firmata sit sententia eorum, qui ab illo Barnaba, qui Paulo apostolo et itinerum fuerit et laborum socius, epistolam illam profectam esse statuant. Qui epistolae denuo repertae primus mentionem fecit Petrus Halloix, ei, ut supra vidimus, iam in promtu erat haec opinio. Sive Sirmondus is fuerit, sive quis alius, qui hoc primus statuerit, hoc quidem nescimus; quicunque autem fuerit, facile est suspicari, in hanc sententiam quo modo inciderit. Etenim non solum inscriptio veteris illius versionis Barnabae nomen exhibet, quod parum probat, si quidem inscriptionum eiusmodi ambigua semper est fides; sed quos ex epistola Barnabae desumtos se afferre profitentur patres locos multos amplosque, ii omnes in hac nostra epistola reperiuntur. Quae quum ita sint, vix crederes fuisse, qui dubitarent, an epistola, qua patres illi essent usi, eadem nobis esset restituta. Sed mota est dubitatio triplex. Alii [19]) enim, praeter quae a patribus sunt exhibita, cetera omnia dubitarunt, annon essent serioribus temporibus supposita. Quod non est, quod ostendamus, quam parum sit verosimile. Alii [20]) certe interpolatam censent epistolam. Quod aut codicum

19) Ita *Calovio* (Bibl. Illustr. ad Grotii Praeloq. in Hebr. 1. nr. 48.) placuit suspicari „loca illa (quae patres attulerint) compleri a consarcinatore potuisse." Dicit haec repugnans et Grotio, ut solet, et sibimetipsi. Ipse enim Conf. Mart. Cap. 1. Sect. 1. Barnabae tribuit epistolam. Cf. *Stäudlin* Gesch. der Moral. Th. 2. p. 14.

20) *Clericus* H. E. p. 474: „Brevem crediderim initio fuisse hanc epistolam et simplicem, sed ab interpolatore corruptam, ut carius veniret." Secutus est *Cotta K. H.* Vol. I. p. 643.

MSS. ope illis erat, aut ipſius epiſtolae indole interna probandum. Verum ſupra iam vidimus, nullo gravioris momenti codicum diſſenſu hanc coniecturam adiuvari. Quae autem in ipſa epiſtola aliena a Barnaba viſa ſunt viris doctis, quum etiam alios permoverint, ut de totius epiſtolae dubitarent authentia, infra aptius examinabimus. Alii [21]) denique, quum duae ſint epiſtolae noſtrae partes, altera ad dogmata ſpectans, ad ethicam altera, poſteriorem non eiusdem, cuius prior eſſet, auctoris eſſe cenſuerunt. Cauſa eſt tum ſtyli in utraque epiſtolae parte non unus color, tum verſio illa vetus, utpote in qua deeſt pars illa poſterior. At enim, quod dicunt de ſtyli quadam differentia, id lubenter concedimus: ſed affert illam diverſa in utraque parte argumenti ratio: idem in apoſtolorum ſcriptis reperimus. Sed ſufficit [22]) monuiſſe [23]), et Clementem Alex. [24]) et Origenem [25]) etiam attuliſſe, quae in poſteriore epiſtolae parte legerentur, et Hieronymum [26]), ubi explicet voces

21) Praeter *Vitringam* (Hypotyp. H. S. p. 228) et *Dodwellum* (Diſſert. in Iren. p. 66.) quorum libros doleo mihi non eſſe ad manus, defendit hanc ſententiam *Le Moine* Varia Sacra Vol. 2. p. 929.

22) Non deſunt alia etiam argumenta. „Ohne den zweiten Theil wäre die doppelte γνῶσις, nach welcher der Autor ſeine Epiſtel richtet, unvollkommen." *Tenzel* monatl. Unterredungen. Febr. 1696. p. 111.

23) Monuerunt iam *Uſſerius* in Edit. Patr. Apoſt. Cleric. p. 12. *Le Nourry* Apparat. ad Bibl. Patr. Max. p. 39. *Galland.* Bibl. Patr. Vol. I. p. XXXII.

24) *Clem.* Strom. II. p. 396. 397. coll. *Barn.* Epiſt. cap. 21.

25) *Orig.* de princip. III., 2. *Idem* ad Rom. 1, 24. coll. *Barn.* cap. 18.

26) *Hieron.* Interpret. Verb. Hebr. extr. coll. *Barn.* 191. 18.

Hebraicas in epiſtola obvias, non omiſiſſe eas, quae in altera epiſtolae occurrerent parte. Hinc nemini, quae eſt in eiusmodi rebus certitudo, non perſuadebitur, eandem epiſtolam, unde locos illos ſumſerint veteres patres, nobis quoque eſſe in manibus. Hanc autem epiſtolam, quum Barnabae viro apoſtolico tribuendam eſſe plurimi, qui de hac re diſſeruerunt, negaverint viri docti, videndum eſt, an poſſit illis haec ſententia, et quo iure defendi.

Qui negarunt, epiſtolam noſtram vere eſſe profectam ab illo Barnaba, qui Paulo apoſtolo comes fuerit et ſocius, ii locos quosdam ex Hieronymi ſcriptis petitos ſolent afferre.

Inter quos exiguus ſane in rem noſtram uſus eſt eius loci, in quo Hieronymus Ignatio tribuit dictum aliquod, quod apud hunc nusquam reperimus, verum in epiſtola noſtra invenimus [1]). Quae ibi leguntur, „Dominum elegiſſe apoſtolos, qui ſuper omnes homines peccatores fuerint," — quae verba, ut infra videbimus, etiam poſteros ita offenderunt, ut totam, quae talia contineret, indignam cenſerent epiſtolam, quam apoſtolico viro tribuerent; — ea etiam Hieronymus videtur memoria quidem, qua pollebat, facile retinuiſſe, ſed dicto reique intentus (quod mi-

1) *Hieron.* adv. Pelag. III, 1. coll. *Barn.* Epiſt. cap. 5.

nime eum dedecet) dicentis nomen neglexisse [2]). Certe, quomodocunque in hunc errorem inciderit Hieronymus, dubium non est, quin falsus sit, minime vero existimaverit epistolam Barnabae esse Ignatii.

Etenim hanc probe noverat Hieronymus, nec alius cuiusdam viri, qui eam composuerit, praeter Barnabam, ubicunque de ea loquitur, facit mentionem. Adornavit, secutus forsan Origenem [3]), verborum Hebraicorum, quae in epistola reperiuntur, quandam explicationem, eamque, testatus singularem, qua epistolam auctoremve coluit, reverentiam [4]), simili cuidam, quam in ipsos

---

2) „Puto esse lapsum memoriae" iam primus Barnabae editor iudicavit. *Menardus* in notis p. 109. *Bernardus* (Ed. Clerici. p. 15.) ceteris ingeniosior triplicem proposuit coniecturam. „Hanc censuram, ait, Ignatio vel error tribuit librarius, vel beatum presbyterum ante senium suum fefellit memoria, aut potius decepit ipsum volumen scriptorum Apostolicorum, ubi Ignatiana solent praecedere, sequi illa Barnabae ac Clementis." Scilicet editio qualem Ignatii curavit Is. Vossius in manibus erat „beato presbytero." „And by that means (ita *Iones* canon. auth. of the N. T. Vol. 2. p. 511.) Jerome cited what he knews was in the volume where Barnabas was, though it happened not to be in Barnabas." Potest sane etiam benevolus si quis fuerit lector multas in tanta re et longe auspicatiores invenire coniecturas, quibus hanc maculam a splendore laudatae viri memoriae („nullus hominum scivit, quod Hieronymus ignoravit." August.) plane abstergat.

3) *Cave* Hist. Lit. s. v. Orig. *Iones* l. l. p. 534.

4) *Tillemont* Mém. Eccl. Vol. 1. p. 658., quem ad verba, ut solet, secutus est *Ceillier* Hist. des Aut. Sacr. et Eccl. Vol. I. p. 500.

N. T. libros curaverat, adiunxit illustrationi. Accedit duplex, quo epistolam commemoret, locus [5]), quorum in utroque eam Barnabae esse tantum abest, ut neget [6]), ut disertis hoc affirmet verbis [7]).

Attamen utroque in loco addidit pauca, quae induxerunt viros doctos [8]), ut licere sibi Hieronymi contra authentiam uti testimonio arbitrarentur. Di-

5) *Hieron.* ad Ezech. 43, 19. *Id.* Catalog. Script. Eccl. cap. 6.

6) Mirum sane, qui potuerint nude affirmare viri docti, epistolam Barn. ab Hieronymo suppositam esse habitam. Quod tamen factum video a *Pertschio* ICto (Versuch einer Kirchenhist. p. 230.) a *Stollio* (aufr. Nachr. von KV. p. 9.) ab *Oudinio* (Comment. de script. eccl. Vol. I. p. 9.) ab *Jo. Ge. Walchio* (Hist. Eccl. N. T. p. 339.) a *Cotta* (KG. des N. T. Th. 1. p. 658.) a *Schroeckhio* (KG. Th. 2. p. 273.).

7) Iam antequam ipsa denuo detecta esset epistola, hoc concessit *Baron.* Ann. ad ann. 51. Post eum alii plurimi *Pearson* Vindic. Ignat. in Clerici Edit. Patr. Apost. T. 2. p. 289. *Wake* disc. on the apost. fathers p. 98., *Tillemont* cum *Ceillierio* l. l., *Cotelerius* Edit. Patr. Ap. p. 6. *Clericus* Hist. Eccl. Saec. I et II. p. 474. *Galland.* Bibl. Patr. Vol. 1. p. XXX.

8) Accuratius quam ii, quos modo (not. 6.) attulimus, videntur alii locos ipsos Hieronymi inspexisse, quum testimonio Hieronymi contra authentiam usi afferant, quibus se defendant. Sed recte vituperavit *Gallandius* l. l. nimiam artem, quam in hoc negotio probaverint *Sam. Basnage* et ante eum *Natalis Alexander.* Sumunt enim, „verba eius populariter et tituli ratione habita capienda esse, non ex rei veritate." Ita *Basnage* Annal. Polit. Eccl. ad ann. 50. p. 617. Addit Nat. Alex. (select. H. E. capita Saec. I. T. 1. p. 99.): „statim innuit (ubi locorum?) illegitimam se prolem illam suspicari, quam inter apocrypha recenset."

cens enim, „Barnabam, cum Paulo gentium apostolum ordinatum, unam ad aedificationem ecclesiae pertinentem epistolam composuisse," addit: „quae inter apocryphas scripturas habetur." Videamus, quid inde colligere liceat. Hoc certum est, non ferri his verbis aliquam de authentia epistolae sententiam: indicatur dumtaxat, librorum cuidam generi apponi solitam esse epistolam. Hinc si velis aliquod de epistolae authentia derivare iudicium, quaerendum est, quaenam librorum illuc apponendorum fuerit causa. Quum autem verba illa Hieronymi possint significare aut i. q. „quae de mea quidem sententia (licet enim, ut post vocem „habetur" mente suppleamus „a me") apocryphis est addenda libris," aut „quam alii solent adiicere apocryphis," ex utroque videamus, quid possit derivari.

Quosnam autem libros Hieronymus ipse inter apocryphos collocandos censuerit, id non pauci facile perspexisse existimarunt, atque mox in suum commodum verterunt. Afferunt[9]) locum quendam Hieronymi[10]), quo dixerit ille, „apocrypha non eorum esse, quorum titulis praenotentur." Hic si unicus est vocis „apocryphus" apud Hieronymum usus, iam ille secum ipse pugnat, quae modo concesserat et affirmaverat aliis adiectis verbis rursus negans et reiiciens. Intelligemusne igitur ita locum, ut iis Hieronymum non consensisse cogitemus, qui Barnabae epistolam inter apocrypha, hoc esset inter pseudepigrapha, ponendam esse existimaverint? mi-

9) E. g. *Basnage* l. c. p. 617. *Stark* K. G. des ersten Jahrh. Th. 2. p. 382.

10) *Hieron.* Epist. ad Laetam. 7.

rum quidem, quod ne verbo quidem diverſam illam, cui ipſe non acceſſerit, aliorum opinionem ſuae ſententiae oppoſuerit, nedum ſuam contra illam defenderit, vel ſecus ſentientes refutaverit. Cavendum autem, ne feſtinantius rem abſolvamus.

Meminerimus, varium fuiſſe etiam, qua Hieronymus vixit aetate vocis „apocryphus“ uſum [11]). Conſtat enim, in eccleſia initio diſtincta eſſe duo librorum genera, canonicos et apocryphos. Imo etiam antequam libri canonici eſſent firmioribus illis, quibus poſtea continebantur, limitibus circumſepti, neque eſſet uſu legibusve ſtabilita iisque vindicata ſuperior quaedam, qua ceteros libros ſuperarent, auctoritas, tamen a libris, probatis eccleſiae ob argumenti utilitatem auctorumque gravitatem, iam coeperant ſecerni atque apocryphorum nomine denotari libri omnes vilioris notae, qui inviſi eſſent eccleſiae aut ob argumentum, ſive quod obſcuritate laborare, ſive quod erroribus infecti eſſe viderentur, aut ob auctorum, quae ferebant, nomina, tum quia mentita illa eſſent, furtivum libris conciliatura ſplendorem, tum quia obſcurorum eſſent virorum, tenuiusque ſonarent [12]). Ita antiquitus invaluit man-

11) Omnino hic conferendi *Cotelerius* in iudicio de Barn. p. 7. *Pearſon* l. c. et prae ceteris, qui nuperrime hac de re ſcripſit, *Thilo* in Edit. Actorum Thomae p. XC ſeqq.; praeterea, qui introductiones in V. et N. T. compoſuere, *Michaelis* §. 13. p. 71. Ed. 3. *Bertholdt.* Vol. 1. §. 20. p. 45. *Schmidt* §. 5—7. p. 7—14., alii.

12) Quum cauſae, ob quas liber quidam potuerit adnumerari apocryphis, exſtent tam variae, nihil probant *Nat. Alexander* et qui eum ad verba ſecutus eſt *Oudin* ſ. v. *Barn.*, quum dicant: „Apocrypha bifariam ſumun-

ſitque in poſterum ea huius vocis vis, ut fere non poſſet liber ſine malo quodam omine et ſine vituperio et contumelia vocari apocryphus. Poſtea autem, quum accuratius libros ſeparare et in certos quosdam ordines redigere idoneum eſſet viſum, primum non alia in promtu erat, niſi antiqua illa canonicos et apocryphos diſtinguendi ratio, coeperuntque ακανονιστα quaelibet ſub apocryphorum nomine canonicis promiſcue opponi. Quum autem non pauci eſſent libri, quos, quamvis dignitate canonica, aucta paulatim ſubtiliusque definita, non plane viderentur digni, tamen apocryphorum nomine dehoneſtare vererentur, viſum eſt multis, ſecernendum eſſe a canonicis et apocryphis tertium quoddam librorum genus intermedium, quod quidem alii aliter et nominaverunt, et a primo tertioque ordine ſeiunxerunt. Verum dum ita conſulebatur ſubtilitati in diſtinguendo, manſit etiam tritus ille dicendi uſus, quo, qui in canonem recepti non eſſent, promiſcue omnes vocarentur libri apocryphi. [13])

---

tur — atqui Hieron. et Euſeb. non amandant epiſtolam Barn. ad apocryphas ſcripturas, quia notam aliquam erroris aut impietatis mereatur; ergo cenſent illam apocrypham eſſe, quod ſit pſeudepigrapha." Rectius *Schurzfleiſch* Introd. in H. E. Saec. I. p. 62.: „Nat. Alexander ſuppoſitam hanc epiſtolam vocat et apocrypham, quod poſterius concedi poteſt in comparatione ad libros canone divino comprehenſos."

13) Ita etiam *Auguſtinus* tradit „ea denotari nomine apocryphorum, quae ab auctoritate canonica diligenti examinatione ſint remota." Civ. D. XV, 23. Auctor decreti, quod Gelſianum dicunt, etiam Euſebii hiſtoriam eccl., de cuius authentia nemo unquam dubitavit, apocryphis adiunxit.

Hinc nihil mirum, quod vel ipse Hieronymus, secutus quotidiani sermonis minus accuratum usum, latiori illo sensu vocem apocryphi nonnumquam usurpavit. Neque hoc ab eius loquendi genere fuisse alienum, vel inde apparet [14]), quod, qui a canone V. T. prohiberentur, libros non solum etiam vocaverit apocryphos, sed morem ita eos appellandi ipse praeiverit. Atqui parum probabile est, ut supra attigimus, Hieronymum uno tenore de eadem re contraria esse professum, sane non propterea, quod subditiciam existimaverit epistolam, apocryphis eam censuit adnumerandam.

Scimus igitur, quid de epistola nostra Hieronymus ipse senserit. Videndum est autem, annon praeterea aliquid possit, quod ad authentiam epistolae faciat, derivari ex verbis illis „quae inter apocryphos habetur." Etenim videtur iis indicasse Hieronymus, alios quoque apocryphis adnumerasse epistolam; imo possit nil nisi, quod alii facerent, ipse vero forsan improbaret, iis fuisse indicaturus. Quaenam autem his aliis epistolae apocryphis apponendae fuit causa? Quod quidem ex Hieronymo nequit derivari, si dissentiente Hieronymo epistolam apocryphis adnumeratam esse statuimus: de hoc infra agendum est. Verum haec iam supra parum nobis arrisit sententia: distinctius sane hoc exprimere debebat Hieronymus, se non facere cum illis, qui apocryphis epistolam soleant apponere propterea, quod subditi-

14) Collegit ex scriptis Hieronymi locos huc pertinentes *Pearson* l. c., quibus potissimum permotus etiam contendit, „ex voce nuda apocrypha nihil aliud recte inferri, ubi de libris canonicis agatur, quam scriptum aliquod esse a canone S. S. removendum."

ciam eam haberent. Sin igitur non discedit ab iis, quos apocryphis epiſtolam adnumeraſſe indicat, videturque eandem quam illi in eo ſecutus eſſe rationem, iam auctor eſt Hieronymus, Barnabae epiſtolam in canonem quidem non eſſe admiſſam, ſed nullam de eius authentia dubitationem, nec ab iis, qui eam illuc admitti noluerint, nec ab alio quoquam eſſe motam.

Qui Hieronymum epiſtolam, de qua agimus, Barnabae ſuppoſitam cenſuiſſe defenderunt, eorum non pauci ſimul contenderunt, ſecutum illum eſſe in hac re Euſebium [1]). In quo etiam ab iis neceſſe eſt discedant, quibus Hieronymum epiſtolae authentiam diſertiſſime affirmaſſe perſuaſum eſt; nam ſi hoc recte ſtatuitur, alterutrum falſum eſt, aut Euſebium ſubditiciam putaſſe epiſtolam, aut Hieronymum ſecutum eſſe Euſebium. Ubi vero quid Euſebius de epiſtola noſtra ſive tradiderit ſive ipſe iudicaverit, accuratius inſpexerimus, apparebit forſan fere ad idem redire utriusque viri teſtimonium, ſive ſit Hieronymus alterum, ſive non ſit ſecutus.

Quid autem Euſebius de epiſtola noſtra ſit teſtatus, eam qui de hac re ſententiam tulere multi videntur praepropere abſolviſſe quaeſtionem. Quorum alii, quum tres ſint loci, quibus epiſtolae noſtrae

1) *Stolle* l. l. *Lange* DG. T. I. p. 62. Cf. ſupra not. 6. *Diſſertations* melées (Amſtelod. 1740.) Vol. II. p. 45.

ab Eusebio fiat mentio, in uno[2]) eorum prae ceteris haeserunt, ex sententiarum nexu illum abstulerunt atque addita interdum quadam interpretatione sua demonstrasse existimarunt, Eusebium et omnes, quos ille plurimos secutus sit auctores, Barnabae abiudicasse epistolam[3]). Quamquam alii[4]) videntur non multum contra hos profecisse, qui pari modo quadam explicatione vocis *νόθος*, ea tamen longe duriore, abunde sibi consuluisse arbitrantur et prohibuisse, ne contra authentiam epistolae Barnabae liceat alicui testem afferre Eusebium. Certe adversario sententiam suam aegre persuadebunt, qui nulla uni-

2) *Euseb.* H. E. III, 25: τῶν δὲ ἀντιλεγομένων γνωρίμων δὲ οὖν ὅμως τοῖς πολλοῖς φέρεται κ. τ. λ. ἐν τοῖς νόθοις κατατετάχθω καὶ τῶν Παύλου πράξεων ἡ γραφή — καὶ πρὸς τούτοις ἡ φερομένη Βαρνάβα ἐπιστολή — ταῦτα μὲν πάντα τῶν ἀντιλεγομένων ἂν εἴη. Idem H. E. VI, 13. 14. tradit, Clementem Alex. etiam librorum ἀντιλεγομένων e. g. epistolae Barnabae in libris Strom. attulisse testimonia eamque in libris Hypotyp. ceteris S. S. libris adiunxisse.

3) *Menard* in Edit. Barn. p. 74. (Eusebius) eam inter scripturas minime germanas recenset: — „quibus addatur, quae fertur nomine Barn. epistola. Idem censet Hieronymus" etc. Hinc etiam Nicephorum Const., qui Eusebium et secutus est et rectius intellexit, aliter de epistola censet sentire atque Eusebium, dicit enim: „Nicephorus eam inter scripturas N. T. ἔσαι ἀντιλέγονται i. e., quibus contradicitur, recenset, non vero inter apocryphos." — Adde, quae dixerunt Nat. Alexander, Basnage l. l., aliique not. 6. 15.

4) E. g. *Arnold* Abbild. vom Leben der ersten Christen p. 15.: „Es ist längst erwiesen, dass νόθος nicht gleich etwas Falsches und Unächtes bedeute." Cf. *Lücke* p. 24.

verſi uſus nexusque Euſebiani habita ratione temere et abrupte nimis reponunt, *νόθος* non idem ſemper valere, quod falſus, ſubditicius. — Accedit, quod ceteris illis in locis, in quibus epiſtolae Barnabae ab Euſebio fit mentio, non *τοῖς νόθοις* ille, ſed *τοῖς ἀντιλεγομένοις* adnumerandam cenſeat epiſtolam, quae duae ſententiae certe videndum eſt, quo modo poſſint inter ſe apte conciliari.

Verum circumſpectius locos illos diiudicaturis occurrunt, quae de canone Euſebii eiusque libros ſacros in quosdam ordines digerendi ratione fuſius nuper ſunt disputata [5]). Qua in re quum de eo adhuc disputetur, qualem de libris illis propoſuerit ſententiam, quidve ſecutus ſit in illis librorum ordinibus ſecernendis, aliis canonem ſuae eccleſiae Euſebium conſignaſſe, aliis ſententias aliorum, quae vel a patribus conſcriptae, vel uſu ſancitae in eccleſia fuerint circumlatae, indigeſtas quaſi eum conglutinaſſe, aliis denique hoc arbitratis, virum quae inſtituta quaeſtione critica ſibi perſuaſerit ea propoſuiſſe; tamen in eo omnes videntur convenire, quod in iis, quae tradiderit, Euſebium alios praecipue ſecutum eſſe non dubitent, ſive quod aliorum quaevis placita iudiciaque tantum collegerit, ſive quod

---

5) *Weber* Beitr. zur Geſch. des N. Tlichen Kanons. p. 142. *Schmidt* in *Henke* Magaz. T. 5. p. 455. *Eiusd.* Einl. T. 1. p. 12. *Münſcher* DG. T. 1. p. 245—53. *Flatt* in *I. F. Flatt's* Magaz. St. 7. 8. *Vogel* de canone Euſeb. Commentt. III. *Bertholdt* Einl. T. 1. p. 116. *Lücke* über den N. Tlichen Kanon des Euſeb. *Hug.* Einl. ins N. T. §. 20. *De Wette* Einl. ins A. T. §. 24. *Eichhorn* Einl. ins N. T. T. 4. p. 48—57.

collectis etiam usus sit ad suam quandam de libris sententiam, quam ex interna eorum conditione derivare certe non valuerit, stabiliendam.

Certe Eusebium in ordinibus, quibus adnumeraret libros, struendis id potissimum respexisse, ut libris secundum aliorum sententias disponendis inservirent, id vel nomina, quibus illos distinxit, videntur probare. Quae si ita se habent, vix poteris exspectare aliam eius dividendi rationem, quam quod libros, primo qui ab omnibus, deinde qui a nonnullis, denique qui a nemine reciperentur et probarentur, separare voluerit. Et hanc esse illam ipsam, qua usus sit Eusebius dividendi rationem, multi viri docti [6]), quamquam ii in singulis iterum haud plane consentientes, se reperisse fatentur idque non contemnendis defenderunt argumentis.

Sed obstant alii [7]), qui quem intermedium hi posuerunt ordinem unum, in duos ceteris aequales ordines distributum volunt ab Eusebio, ita ut libros *ἀντιλεγομένους* secundo, *νόθους* vero tertio loco posuerit.

Quid autem valeat illud, quod de epistola Barnabae Eusebio debemus iudicium, varie diiudicetur necesse est, prout hos vel illos quis sequatur. Priores ubi rogaverimus, de epistola Barnabae quid iudicaverit Eusebius, respondebunt, ad secundum referendam esse ordinem: esse, qui genuinum opus eam censeant, esse, qui idem negent secludantque epistolam; nil praeterea tribus illis in locis, qui optime

6) E. g. *Lücke*, *De Wette* l. l., et ante eos *Tentzel* monatl. Unterr. Febr. 1696. p. 87 sq.

7) E. g. *Schmidt*, *Münscher*, *Bertholdt* (p. 116.) l. c.

inter se ita reperiantur esse consentanei, memoriae esse proditum. Posteriores autem, qui Eusebium ab *ἀντιλεγομένοις* separasse contendunt scripta *νόθα*, quid respondebunt? Nempe quam III, 25 *τοῖς νόθοις* Eusebius adnumerat epistolam, eandem VI, 13. 14. recenset inter *ἀντιλεγόμενα*. Dicent forsan, Eusebium in omni hoc negotio parum sibi constitisse [8]) omniaque confudisse, vel certe primum improprie vocem *νόθος* usurpasse, deinceps se ipsum emendasse [9]). Attamen si quidem nunquam debet in aliquo scriptore temere concedi, contradixisse eum sibimetipsi, dum aliam, qua evanescit contradictio, verba eius admittant explicationem; licet sane probaturis ad eundem ordinem referendos esse libros, et quos *τοῖς ἀντιλεγομένοις* et quos *τοῖς νόθοις* adnumeraverit, inde gravissimum petere argumentum, quod eosdem libros, e. g. Barnabae epistolam, modo his, modo illis re vera addiderit. Quod quidem iuvat etiam sententiam illam ex qua tribus illis in locis nil amplius de epistola Barnabae, hoc autem manifestissime Eusebius indicasse iudicatur, quod ab aliis fuerit probata epistola, reiecta ab aliis [10]). Possit

---

8) Ita *Weber, Hug, Eichhorn* l. l.

9) Ita *Galland.* l. l. p. XXX.

10) Idem sentiunt *Lardner* Glaubw. der ev. Gesch., übers. v. Bruhn. T. 2. p. 4. *Stäudlin* Gesch. der Moral T. 2. p. 14.: Eusebius und Hieronymus Zeugniss beweist höchstens so viel, dass es vor ihrem Zeitalter Christen gegeben habe, welche dem Barnabas diesen Brief absprachen, und dass andere ganz ungewiss in Ansehung seines Verfassers waren (forsan quia auctoris nomen in salutatione non esset adscriptum. V. infra.)

quidem huic argumento opponi, vocem *ἀντιλεγόμενος* et latiori quodam et strictiori sensu usurpatam esse ab Eusebio ita, ut libros *νόθους*, quippe quibus non solum ab aliis nonnullis (*ἀντιλεγ.* sensu strictiori), sed etiam a se ipso contradicatur, nunc adnumeret *τοῖς ἀντιλεγομένοις*, nunc ab illis separet. Ponamus, haec ita esse (videtur autem aliis etiam argumentis validissimis nuper [11]) esse demonstratum, apud Eusebium libros *ἀντιλεγομένους* et *νόθους* nomine distare, re vera eosdem esse), tamen quae iam restat Eusebii de epistola Barnabae sententia tantum non eadem est, atque illa, quam supra posuimus. Etenim dum modo conceditur, quos *νόθους* Eusebius vocet libros, eos non eius generis esse, ut ab omnibus reiiciantur (alioquin ad quartam *τῶν ἀτόπων* ordinem debebat illos detrudere), superest nobis gravissimum, quod notioni libri *ἀντιλεγομένου* inest, momentum, nimirum dissensus testium, quamvis eo magis inclinet ipse Eusebius, ut illis accedat, qui Barnabae abiudicent epistolam [12]).

---

11) Praesertim a *Lückio* l. l.

12) Magis etiam authentiam adiuvat sententia eorum, qui, si quem librum ἀντιλεγομένοις apposuerit, nihil aliud Eusebium eo putant voluisse iudicatum, nisi quod ad canonem non esset referendus. *Du Pin* T. 1. p. 8. *Wake* l. c. p. 98. *Galland.* l. c. *Rosenmüller* Hist. interpret. T. 1. p. 43. Sed haud scio an illis liceat accedere. Neque ex voce illa φερομένη, quam Stroth et Eichhorn l. l. vertunt etiam den bekannten (Brief), contra authentiam aliquid certi potest derivari. Cf. *Tillemont* l. c.

Videmus, quod Eusebio debeamus de epistola nostra testimonium, id quidem ambiguum esse, nec tamen contra authentiam quidquam continere, nisi fuisse saeculo quarto nescio quos, qui de ea dubitarent. Causarum dubitandi nulla mentio, nedum fraudis cuiusdam commissae. Unum praeterea, quod etiam aliunde licet cognoscere, locis illis supra memoratis referunt et ipse Eusebius et illum sequi semper paratissimus Hieronymus, epistolam Barnabae, quam alter disertis verbis, cuius nomen ferat, eius esse affirmat, saeculo quarto *in canonem non esse receptam.* Qui usus poterat quidem propagare, imo movere aliquam de epistolae authentia dubitationem, dum propagabatur ipse, poterat tamen etiam hinc ipse manare, si qua fuerat iam antea circumlata in ecclesia de authentia dubitatio.

Arripiunt hoc permulti [1]). Quam epistolam, aiunt, tanti viri nomine insignem ecclesia indignam, quae in canonem admitteretur, censuit, apocryphisque adiunxit et publice legi noluit, ea non potest non esse supposita.

Videndum igitur ante omnia, annon re vera in canonem recepta sit epistola: fuerunt etiam recentiores [2]), qui eam illuc admittendam esse censerent.

---

1) *Andr. Rivet* Crit. Sacr. I, 6.: „Barnabae genuinum foetum esse, asseverare non ausim, cum illi ipsi veteres, qui eius utuntur testimonio, non eam referant inter libros canonicos, quod tamen fieri deberet, si Barnabam haberet auctorem. *Tillemont* p. 659. 414. *Basnage* p. 616. *Iones* Chap. 40. *Rössler* Bibl. der KV. Th. 1. p. 5. *Pertsch* p. 231.

2) E. g. *Whiston* cf. Iones. p. 522.

De Clemente Alexandrino et Origene infra fuſius loquendum: ille vero tantum abeſt, ut eam canonicis libris perſpicue poſt habeat et interiecto quodam limite ab his ſeparet, ut ubi eius mentionem facit, nunc apoſtolum vocet auctorem, nunc inſignem quandam effatis eius tribuere videatur vim et auctoritatem [3]); Origenes autem, quamvis teſte Euſebio [4]) in canonem epiſtolam admittere noluerit, eam catholicam vocat, ut etiam videatur, ſi non canonicis appoſuiſſe, certe non multum illis iudicaſſe inferiorem [5]). Videtur etiam ſaeculo quarto adhuc eſſe dubitatum, annon canonicis ſit apponenda libris. Quod vel ex Hieronymo licet cognoſcere, qui quam in canonem ultro admittere auſus quidem non eſt epiſtolam, tamen una cum libris ceteris N. T. interpretatione verborum, qui in ea occurrunt Hebraicorum illuſtravit. Denique monendum in ſtichometria illa antiqua, quam primus exhibuit Cotelerius, Barnabae etiam epiſtolam ceteris S. S. libris iunctam ibique libro apocalypſeos antepoſitam reperiri. — Veruntamen conſtat, quum canonis limites et accuratius conſtituerentur et acrius defenderentur, neque a concilio neque a patre quodam eccleſiaſtico epiſtolam Barnabae canonicis libris unquam eſſe additam.

Quid igitur, eſtne ſubditicia, ſi non erat canonica? In qua re concedendum quidem eſt, e cauſis, ob quas libri a canone prohiberi ſolerent, fuiſſe prae

3) „Οὐ μοι δεῖ πλειόνων λόγων παραθεμένῳ μάρτυν τὸν ἀποστολικὸν Βαρνάβαν κ. τ. λ. Strom. II. p. 410. ed. Parif. 489. ed. Potter.

4) *Euſeb.* H. E. VI, 25.

5) *De Wette* Einl. ins A. T. §. 23. (Ed. 2.) *Münſcher* DG. T. 1. p. 259.

ceteris illam, quod quorum prae ſe ferebant nomina eorum non eſſe crederentur. Attamen non unica excludendorum librorum haec erat cauſa: poterant eccleſiam, cuius erat ultimam de canone ferre ſententiam, alia multa moviſſe, ut librum aliquem nollet recipere. Si igitur aliquem librum a canone prohibitum reperimus, eundem ſuppoſitum eſſe habitum hanc ſolam ob cauſam ſtatuere non licet. Atque a canone prohibitam eſſe Barnabae epiſtolam, quia ſuppoſita eſſet habita, non ſolum non eſt probabile, ſi quidem quae in teſtimoniis illis contra authentiam eius facere videntur, ita comparata reperimus, ut potius ad inconditam quandam et temerariam ſuſpicionem pertinere, quam certis argumentis pugnare videantur; ſed aliae quoque cauſae exſtant, cur epiſtola Barnabae canonicis non adnumerari potuerit.

Nam primum quod tot viris doctis recentioris aetatis diſplicuit, poterat etiam veteribus patribus diſplicere epiſtolae argumentum, ſive quod nimia in allegoriis fingendis indulgentia [6]), in defendendis interpretandisque ritibus veteribus facilitas et infelix opera offenderet, ſive quod a Chiliaſticis erroribus non plane videretur eſſe aliena. Quod infra magis etiam apparebit, ubi quamnam dubitandi de authentia eius cauſam epiſtola ipſa praebuerit, erit examinandum. Certe conſtat, his primis temporibus internam ſcriptorum veritatem et praeſtantiam non nihili adhuc eſſe habitam, ubi agebatur de eo,

6) *Is. Voſſ* Iudic. de epiſt. Barn.: „(Inter ἀπόκρυφα repoſuerunt epiſtolam Barn.) non quod dubitarent de auctore, ſed quod non probarent myſticas iſtas interpretationes multorum S. S. locorum."

utrumne divina essent, divinitusque adiuti eorum auctores, necne. *) Adsunt etiam apud patres exempla [7]), quibus reiiciendorum librorum, praeter quod displiceat eorum argumentum, nulla addita est causa.

Deinde secludendae e canone epistolae Barnabae poterat etiam causa esse inferior scriptoris auctoritas. Repugnant quidem permulti. Nam fere omnes ii, qui quia canonica non sit, abiudicandam Barnabae censent, quae ei tribuatur, epistolam, illud prae ceteris afferunt argumentum, Barnabam fuisse apostolum. Afferunt quosdam Augustini [8]) locos, atque „si eius esset canonica", et „haec consecutio optima est", quasi ex uno ore omnes clamitant [9]). Quaerendum igitur, apostolusne fuerit Barnabas: ponamus enim, de quo possit disputari, si fuerit apostolus, debuisse etiam in canonem recipi eius epistolam, quum praecipua certe recipiendorum in canonem librorum causa fuerit apostolica eorum origo indubitata. Solet quidem nunc Romana ecclesia Barnabam pari modo ac Paulum apostolis adnumerare, quae videlicet etiam Mediolanensium eum fuisse apostolum, imo reliquias corporis eius non paucas

*) Cf. *De Wette* l. c. §. 22. not. c.

7) Ita non quia suppositus esset, sed quia „aedificationi" non inserviret, Hermae pastorem vituperavit *Tertullianus* de pud. 20.

8) *August.* contr. advers. leg. et proph. I, 20: (Apocrypha sub nominibus Ioannis Andreaeque scripta) „si illorum essent recepta ab ecclesia." Id. de Civ. D. 18, 38.: „Haec scripta castitas canonis non recepit, non quod eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur auctoritas, sed quod ista non credantur ipsorum esse."

9) Formulam praeivit *Nat. Alexander* p. 99. Secuti sunt *Oudin, Basnage, Tillemont, Ceillier, Iones,* alii.

poſſidere gloriatur [10]). Attamen veteres patres in eo diſſentiunt: vocatur quidem paſſim apoſtolus [11]), etiam a Clemente Alex., verum idem Clemens etiam apoſtolicum eum vocat; Tertullianus [12]) autem tantum abeſt, ut apoſtolicam ei tribuat auctoritatem, ut ubi eo uſurus eſt teſte, addat antea, quibus aliquam auctoritatem ei vindicet, et ſe ipſum quaſi excuſet.

Sed ad libros N. T. redeundum eſt, ex quibus ſolis in hac re certi aliquid derivare licet. Primum hic occurrunt quidem nobis in Act. 15. duo loci, quibus Paulus et Barnabas vocantur apoſtoli. Neque tamen deſunt, qui his opponantur alii, unde apparere videtur non in eodem quo ſtrictiori ſenſu appellabantur apoſtoli, honore habitum eſſe Barnabam. Nam Act. 9, 26 ſeq. Barnabas et *τοῖς μαθηταῖς* adnumerari [13]), et ab apoſtolis, apud quos Paulum

---

10) Act. Sanct. Iun. Vol. II. 453 — 457.

11) E. g. *Philaſtr.* de haeres. 41.: Sunt, qui epiſt. ad Hebr. dicunt aut Barnabae eſſe apoſtoli, aut Clementis Rom. etc.

12) *Tertull.* de pud. cap. 20: „Volo alicuius etiam comitis apoſtolorum teſtimonium ſuperducere" — „adeo ſatis auctoritatis viro, ut quem Paulus iuxta ſe conſtituerit in abſtinentiae tenore." *Michael.* Einl. ins N. T. Ed. 4. p. 1396: „Tertullian legt ihm, ſo wie faſt die ganze abendländiſche Kirche, kein völlig canoniſches Anſehn bei, weil er nicht von einem Apoſtel ſei, aber doch eine Art von deuterocanoniſchen, ſo daſs ſein Zeugniſs Gewicht haben und Collateralbeweis ſein könne. Da dies Meinung lat. Kirchen iſt, ſogar den griech. Schriftſtellern der erſten Jahrh. unbekannte, ſo kann es wohl niemand für mehr als Meinung, nicht für hiſtoriſche Nachricht halten."

13) „— μαθηταῖς· καὶ πάντες ſcil. μὲν — Βαρνάβας δὲ" κ. τ. λ.

modo conversum introducit, videtur distingui. Deinde quae Act. 11, 24 ei impertitur, laus aliter certo haberet, si in apostolis fuisset habitus, nec hac occasione non commemorasset auctor Barnabam apostolis fuisse adnumeratum. Tacemus Act. 4, 36, quo loco apostoli etiam opponuntur Barnabae, nam qui modo partes apostolorum sectari coepit, non potest apostolis statim adnumerari. Quamquam etiam hoc nonnihil probare videtur, si addis, in iis, quae sequuntur in Actis, nullum adesse locum, quo tradatur, receptum esse Barnabam in apostolorum ordinem vel ab his ipsis in aequalibus habitum. Quo modo autem haec cum loco illo Act. 14, 4. 14. facile conciliabimus? Qui noluerit ullam aliam vocis *ἀπόστολος* statuere significationem, nisi strictiorem illam, qua praeter illos duodecim apostolos, Paulumque nemini illud nomen debetur, poterit, si placet cum eo, qui nuperrime [14]) hac de re scripsit, rem ita sibi informare, quasi desierit Barnabas, legatione nunc ei commissa functus, apostoli posthac gerere nomen. Verum opportune hic meminerimus, eam adhuc fuisse illius temporis vel certe primaevorum Christianorum simplicitatem et liberalitatem, utpote apud quos omnino non cogitandum sit de quadam „epithetorum ornantium" accurata distinctione, qualem recentiores solent habere in deliciis. Atque non solum *τοὺς δώδεκα*, sed etiam latiori quodam sensu alios vocatos esse apostolos, qui pari modo atque

14) *Alb. van Hengel* adnot. in loca nonnulla N. T. Amstel. 1824. p. 151 seqq. Act. 15, 33 Paulus et Barnabas vocantur etiam ἀποστείλαντες, sed lectio incerta est, leguntque alii ἀποστόλους.

apoſtoli, vel una cum illis propagandae fidei ſervirent [15]), hoc probant et ipſa vox, ſi quidem apoſtolus proprie ſignificat legatum quemvis, et Iudaici uſus comparatio, qua edocemur, fuiſſe etiam ſynedrii patribus ſimiles quosdam eiusdem nominis miniſtros, quos ad ſynagogas ſuae ditionis viſitandas delegare ſolerent [16]); probant deinde patrum [17]) et N. T. [18]) loci, quibus etiam alii, quos ceteris vere apoſtolis nemo adnumerabit, ita nuncupantur. — Iam igitur omnia optime conveniunt: ſenſu ſtrictiori neque erat Barnabas, neque habebatur apoſtolus, poterat igitur indignus haberi, cuius in canonem reciperetur libellus, atque concidit illa, quam contra authentiam epiſtolae noſtrae ex apoſtolica viri dignitate derivarunt conſecutionem, valetque, quod alii [19]) repoſuerunt, eodem iure epiſtolam Clementis Romani, de cuius authentia nemo unquam dubitaverit,

---

15) Συναποστόλους vocat *Chryſoſt.* Hom. 59. cf. *Suicer.* ſub v. ἀπόστολος. *Theodoret* in 1. Tim. 3, 1: τοὺς νῦν καλουμένους ἐπισκόπους ἀποστόλους ὠνόμαζον. *Euſeb.* I, 12: εἶθ' ὡς παρὰ τούτους κατὰ μίμησιν τῶν δώδεκα πλείστων ὅσων ὑπαρξάντων ἀποστόλων, κ. τ. λ. Cf. *Bingham* T. 1. p. 69.

16) *Vitringa* de Synag. II, 10. p. 577.

17) E. g. *Tertull.* adv. Marc. IV, 24. p. 240: Adlegit et alios ſeptuaginta apoſtolos ſuper duodecim. Cf. Lardner p. 429.

18) Cf. *Rom.* 16, 7, ubi verba ἐπίσημοι ἐν τοῖς ἀποστόλοις non cum *Grotio*, *Koppio*, *Roſenmuellero*, *Hengelio* vertenda ſunt, „in laude apud apoſtolos," ſed „inſignes inter apoſtolos" cum *Suicero*, *Wolfio*, *Schotto*, *Schleusnero*, *Wahlio*, *Kuinoelio*. Licet forſan addere 1 Cor. 4, 9.

19) *Cave* ſ. v. Barn.

aliorumque virorum apoſtolicorum opera in canonem debuiſſe admitti [20]).

Denique tertia quaedam ſe offert cauſa, qua poterat prohiberi, ne canonicis adderetur Barnabae epiſtola, poterat enim ei obſtare, quod parcius forſan propagata eſſet in eccleſia [21]). Conſtat, quantum valeat uſus et conſuetudo, potiſſimum inter homines incultiores, utpote qui tenaciſſimi ſint eorum, quae mos maiorum ſancivit. Conſtat praeterea, et patres ipſos, an liber quidam genuinus ſit canonique addendus diiudicaturos, praecipue quae in eccleſia de his tradi ſolerent, iis ſe duci paſſos eſſe [22]), et quibus poſtea licuit ſua placita conciliorum ope latius propagare ceterisque obtrudere, eos etiam praeter ea quae et patres iudicabant, et uſus famaque ferebat, ſecutos eſſe nihil. Ita recipiendis in canonem libris potuit etiam quam maxime impedimento eſſe quaedam in propagandis illis adverſa fortuna, qua efficiebatur, ut librum paucis notum quum pauci commendarent, plurimorum quibus novis rebus ſtudere viderentur, contra ſe verterent animos. His ſimilia eveniſſe paſſim reperimus. Barnabae autem epiſtolam

20) Videmus, quum in utramque rem poſſit disputari de eo, utrum Barnabas cenſendus ſit apoſtolus necne, potuiſſe certe in illo, ut etiam in Paulo ambigi, an apoſtolus ſit, canonique adnumeranda quaedam illius epiſtola.

21) *Schmidt* KG. Th. I. §. 117: Vermuthlich war der Brief anfangs in den übrigen Kirchen nicht bekannt, und als er ſpäter von Alexandrien aus verbreitet wurde, wagte man es nicht mehr, ihn in den Kanon aufzunehmen.

22) *Eichh.* Einl. ins N. T. Th. 4. p. 51. 64.

in ecclesia parum fuisse propagatam, licet etiam inde colligere, quod a nemine Apologetarum eius fiat mentio, quodque Tertullianus etiamsi non latuerit eum exstare aliquam Barnabae epistolam, ipsam tamen nostram non habet, quae tamen ubicunque cognita erat, semper Barnabae habebatur opus. Non est, quod hanc ob causam suppositam censeamus [23]): sunt omnino hi viri parci in libris sacris laudandis, ut ad quos etiam librorum N. T. pauciorum tantum penetrasse videatur notitia: nec mirum, quod quae ita scripta est epistola, ut prae ceteris Alexandrinis placeret [24]), apud hos magis quam apud Latinos et propagaretur et magni aestimaretur. Verum ubi serioribus temporibus studiosius inquirerent, quinam libri in canonem essent admittendi sequerenturque in hoc negotio praesertim ea, quae more antiquo tradita acceperant, recipiendae in canonem epistolae Barnabae potuit impedimento esse non solum, quod inferior forsan videretur auctoris dignitas, sed etiam quod paucis nota esset et probata. Imo quum propterea libri solerent a canone excludi, quod suppositis adscriberentur, facile poterat evenisse, ut si qui forte serioribus temporibus nondum inaudiverant, exstare aliquam Barnabae epistolam, illam eam ob causam primum suspicarentur a maioribus in canonem suum non esse receptam, quia suppositam eam esse probe illi perspexissent, deinde quam ita conceperant de authentia suspicionem et defenderent et propagarent.

---

23) Ita *Le Moine* Vol. 2. p. 680. *Tenzel* p. 99. *Iones* p. 536. *Stark* KG. Th. I. p. 381. Contra Moinium iam scripsit *Le Nourry* p. 42.

24) Vide infra.

Verum in his nondum acquiefcunt, quibus ex auctoritate, qua in ecclefia ufa fit noftra epiftola, contra authentiam eius placuit argumentari. Non folum, dicunt, in canonem non recepta eft ab ecclefia; fed apocryphis appofita: addunt ne lectam quidem effe epiftolam in ecclefia [25]) probaturi, graviorem hic effe vim vocis ἀπόκρυφος, quam qua in univerfum opponatur τῷ κανονικῷ, nec licere hanc ob caufam cogitare de eo, quod libris, quos ecclefiafticos vocant, qui etiam fint ἀκανόνιστοι, nec tamen fuppofiti, fuerit forfan appofita.

Concedendum quidem eft in hac re, quod Clementi Romano contigit [26]), id non eveniffe Barnabae, nec ullos forte nobis fupereffe locos, quibus epiftolam eius publice usquam lectam effe indicetur ab aliquo fcriptore. Nec poterit hanc ob caufam res unquam ad liquidum perduci. Verum etiamfi diferta in hac re fcriptorum defiderantur teftimonia, non defunt tamen argumenta nonnulla, quae lectam effe epiftolam fuadent. Huc pertinet id, quod iam fupra vidimus, quod ab Eufebio operibus fecundi, quem diftinxit ordinis eft appofita, nam ipfe declarat [27]), fcripta, quae huc collocaverit, quamvis fint ἀντιλεγομένα, effe tamen ἐν πλείσταις ἐκκλησίαις παρὰ πολλοῖς δεδημοσιευμένα. Idem probare videntur librorum facrorum volumina, in quibus ceteris N. T. libris addita erat noftra epiftola: exftitiffe autem eiusmodi volumina licet inde colligere, quod

25) *Basnage* l. c. p. 617. *Iones* l. c. p. 537.

26) Eius epiftolam lectam effe in ecclefia auctor eft Eufeb. H. E. IV, 23.

27) Eufeb. III, 31.

Hieronymus etiam, quae in epiſtola exſtant verba Hebraica una cum illis, quae in N. T. reperiebantur, explicavit. Adde, quod epiſtola in veteri quadam, quam Cotelerius exhibuit, reperiebatur ſtichometria, ſi quidem eo conſilio στιχηδόν ſcribebantur codices, ut facilius poſſent et dignius legi in eccleſia. Accedit, quod tradit Hieronymus, ad aedificationem eccleſiae ab auctore ſcriptam eſſe Barnabae epiſtolam; imo licet forſan premere illud „legitur", et de publica illa recitatione intelligere. Quibus omnibus confirmatur etiam, quod Hieronymo unico auctore[28]) accepimus, apocryphis epiſtolam eſſe adnumeratam, id nihil aliud ſignificare et probare, niſi quod in canonem illa non fuerit recepta.

Iam meminerimus, quid ex his omnibus, quae hucusque quaeſivimus, efficiatur in epiſtolae, de qua agimus, authentiam. Quae contra authentiam poſſunt verti, pauca reperimus. Vidimus enim, nihil in hac re teſtimoniis illis bene eſſe comproba-

---

28) Vituperavit *Valeſius* in *Rufino*, eum vocem ἀντιλεγόμενα male vertiſſe „apocrypha" *Euſeb.* VI, 14. Poteſt hoc ex ſuis, quae eius eſt interpretandi ratio, addidiſſe Rufinus, ut liceret eum etiam teſtem afferre. Sed male vituperavit Valeſius, nam verbis „quae apocrypha a quibusdam habentur" ſenſum vocis ἀντιλεγόμενα aeque bene expreſſit, ac cap. 13 verbis „libri, qui nonnullis minime recipiendi videntur."

tum, nisi saeculo quarto fuisse, qui de authentia dubitarent. Nec tamen hac re vehementer infringebatur authentia. Apparuit enim, non magni momenti esse hanc dubitationem, quia et saeculo demum quarto mota et omnino obscurior esset et ambigua, atque, quum a nemine diserte defensa, neque ullis argumentis fulta esset, suspicioni temere conceptae longe similior, quam judicio artis criticae ope bene stabilito. Nec hujusmodi suspicionis caussae nimis erant remotae. Etenim hac aetate, arti criticae tractandae tantum non impari, poterat facile in suspicionem incidere epistola, quia et parcius propagata esset et a canone dudum prohibita.

Fatendum tamen, iis, quae vidimus, pauca etiam inesse, quae authentiam confirment. Nota quidem erat epistola alius neminis nisi Barnabae nomine; erant, qui authentiam defenderent, alioquin *τοῖς ἀντιλεγομένοις* non poterat ab Eusebio apponi epistola; habemus ipsum Hieronymum strenuum authentiae defensorem. Sed tamen etiam haec serioris sunt aevi, nec iis solis authentiae bene consulitur.

Attigimus autem prae ceteris haec, quae serioris aetatis auctoritate et usui superstructa erant argumenta, quoniam praecipue in his eorum, qui genuinam esse epistolam negarunt, substitit industria. Verum exstant etiam, qui a tempore, quo orta est epistola, propius distabant scriptores, iidemque viri et magnae auctoritatis et ea e civitate orti, cuius usui epistola consulto videtur esse accomodata. Eos autem omnes authentiae alacres habemus propugnatores.

Ita iam *Clementem Alexandrinum* reperimus, multum esse in nostra epistola alleganda. In quo

quidem (id quod iam ſupra attigimus) dubitatum eſt, utrumne canoni adnumeraverit epiſtolam, necne. Illud qui contendunt [1]), in eo conſiſtunt, Clementem apoſtolum vocaſſe Barnabam et ita eius ſolitum eſſe uti verbis, utpote quae ob ſuperiorem, qua pollerent, auctoritatem argumentorum aequarent vim: poterat etiam non fruſtra addi, in libris hypotypoſeon deperditis, quibus teſte Euſebio [2]) et Photio [3]), cuiusvis, quam putabat, *ἐνδιαθήκου γραφῆς* fecerat mentionem, Barnabae etiam ab eo receptam fuiſſe epiſtolam. Reponunt autem alii, eundem apoſtolicum a Clemente vocatum et LXX Chriſti diſcipulis adnumeratum eſſe, extare etiam locum, quo iis, quae in epiſtola ſcripta ſint, contradixerit Clemens, quod nunquam feciſſet [4]), ſi canonicum librum eam exiſtimaſſet. Crederes, haec ita inter ſe poſſe conciliari, ut ſtatuas, quam de epiſtola noſtra magnam opinionem Clemens initio conceperit, eam poſtea paulo imminutam eſſe, nam et Hypotypoſes prius quam ſtromata [5]) videntur fuiſſe a Clemente ſcripta, et quibus apoſtolum Barnabam in Stromatibus vocat loci ii in primo opere leguntur, ceteri in extremo. Extat autem apud Euſebium [6]) quoddam Clementis Alex. fragmentum, in hoc negotio negligi ſolitum,

1) *Ceillier* p. 499. *Toland* (Iones. p. 535.) *Münſcher* DG. T. I. p. 232. *Schmidt* KG. T. I. §. 117. *Guerike* Schol. Alex. p. 11. 33.

2) *Euſeb.* H. E. VI, 14.

3) *Photius* Cod. 109.

4) *Coteler.* p. 4. *Lardner* p. 430.

5) *Photius* Cod. 111. *Cave* ſ. v. Clem. Alex. *Du Pin.*

6) *Euſeb.* H. E. II, 1.

idque ex ipſo illo Hypotypoſeon libro deperdito petitum, quo Clemens Barnabam ſeptuaginta illis diſcipulis adnumerat, ab apoſtolis diſerte ſeiungit, ſimul tamen, ubi de auctoritate ageretur, Barnabam profitetur apoſtolis non inferiorem eſſe cenſendum, quippe cui ipſi apoſtoli ſuam impertierint γνῶσιν. Ex quo, niſi placet Clementem accuſare, quod modo hanc, modo illam induerit ſententiam, efficitur primum, ut ſi alicubi apoſtolum vocavit Barnabam, latiori illo, de quo ſupra expoſuimus, ſenſu id voluerit acceptum [7]); deinde, ut nihilominus ſuperiorem quandam Barnabae tribuerit auctoritatem, apoſtolicae certe parum diſſimilem.

Sed fac, certo non poſſe decidi, Clemens epiſtolam an pari atque apoſtolicos libros habuerit honore, an igitur canonicis adnumeraverit atque omnino an placuerit Clementi, libros ceterum ſibi probatos ſecundum auctorum dignitatem tam accurate diſtinguere, an librorum quosdam ordines, quales Origenes de quorundam [8]) ſententia et Euſebius ſine dubio inſtituit, obſervaverit etiam Clemens et quomodo diſtinxerit. De authentia, ubi agitur, nil refert, ſummone, an magno quodam honore Barnabam Clemens habuerit, modo tantam eſſe eius Barnabae, qui epiſtolam ſcripſerit, putarit auctoritatem, ut effatis ex epiſtola eius petitis argumentorum inſtar uti ſibi licitum putaret. Inde enim apparet, id quod etiam diſerte indicavit, Clementem nullum dubitaſſe, quin haec epiſtola opus ſit Barnabae Cyprii, comitis Pauli apoſtoli. Nec probat locus ille, quo Barnabae ali-

7) *Lardner* p. 429. 432.
8) *Münſcher* p. 241.

quam ſententiam refutare videtur Clemens, eum vel auctorem minoris aeſtimare, vel epiſtolam ſuppoſitam cenſere: ſed magnae hoc eſt erga auctorem verecundiae, quod eodem in loco dicere non audeat Barnabae eſſe, a qua ipſe recedat, ſententiam 9). Neque alius locus, quo quae Clementis Romani ſunt, verba quaedam tribuit Barnabae quemquam permovebit, ut hanc ob cauſam, quippe qui ſibimetipſi in eo parum conſtiterit, 10) Clementis in dubium vocet de epiſtola noſtra teſtimonium, quum quisque videat, vel vitio librariorum, vel lapſu memoriae Clementis id facile potuiſſe accidere. *Origenem* vero quod attinet, poterit negari canonicis eum adnumeraſſe epiſtolam, nam in illo, quem Euſebius tradidit canone eius non reperimus epiſtolam. Attamen haud ſcio an hic potius ſit aſſentiendum illis viris doctis*), qui Origenem noſtram epiſtolam in canonicis habuiſſe exiſtiment, magisque fides habenda ipſius Origenis locis, qui non ſolum catholicam vocat epiſtolam, quod quomodocunque interpreteris ſuperiorem quandam, quae epiſtolae debeatur, indicat auctoritatem; ſed fere non poteſt ad eam non alluſiſſe aliquo in loco 11), quo tamen quae inde affert locos ſcripturae

9) Cf. *Cotel.* p. 6. *Potter* ad Clem. Paed. II, 10. p. 221. n. 5.

10) *Pertſch* p. 230: Clemens hält ſolchen Brief bald vor ächt, bald zweifelt er an deſſen Richtigkeit, bald ſetzt er ſolchen unter die untergeſchobenen Schriften. *Röſſler* p. 5: Clemens iſt ſich nicht gleich etc.

*) *Tillemont.* p. 658. *Ceill.* p. 499.

11) *Orig.* ad Rom. 1, 24: „Sunt praeterea ſicut in multis Scripturae locis invenimus, etiam utriusque partis vel utriusque viae fautores quidam et adiutores Angeli." Cf. *Barn.* Epiſt. Cap. 18.

idem vocat. Certe etiamſi canonicis epiſtolam non appoſuerit, elucet tamen ex aliis Origenis locis, non ſolum quod ille ſciverit, neminem dubitaſſe de originis ſinceritate, ſed antiquitus eam ſub illo, quod ferat, divulgatam fuiſſe nomine. Sunt enim praeter illum, cuius mentionem fecimus, Origenis duo, quibus epiſtolam noſtram allegaverit loci. In altero [12]) eundem iterum infert locum, qui l. c. eius obverſabatur animo, quo quidem confirmatur, eum ſupra, ubi „de multis ſcripturae locis“ loquitur, Barnabae etiam epiſtolam hac voce ſignificaſſe. In altero [13]) tradidit, quae authentiam magis etiam adiuvent; nam ſive male ſive recte coniecerit Origenes, ex epiſtola noſtra Celſum ſumſiſſe, quae de apoſtolorum iniquitate Chriſtianis oppoſuerit, certe nunquam talem aliquam coniecturam eſſet auſus ſummus ille vir, niſi probe noviſſet, Celſi temporibus tanta apud Chriſtianos epiſtolam noſtram floruiſſe auctoritate, utpote ex qua optime potuerit, quae Chriſtianis opponeret, hauſiſſe Celſus. Denique teſtis eſt Origenes, hanc noſtram epiſtolam unicam [14]) fuiſſe, quae ſub Barnabae nomine ferretur et ubique nota eſſet.

Tantorum virorum tanta teſtimonia vix expectares fuiſſe, qui nec magni in hac re haberent, et in ſuſpicionem vocarent. Attamen non pauca auctoritati eorum ſunt oppoſita, quae nunc nobis ſunt examinanda, quamvis aliis, quae redarguerentur, ne digna quidem ſint viſa.

---

12) *Orig.* de princ. III, 2.

13) *Orig.* contr. Celſ. I, 13.

14) *Orig.* de princ. l. c: „Barnabas in epiſtola *ſua* declarat“ etc.

Primo, si quis forte [15]) testimoniorum eiusmodi vim et auctoritatem in universum conatur labefactare, cum illo disputare non oportet: constat enim quanta sit horum argumentorum vis, ubi opus ipsum, quod critice est diiudicandum, mentitae originis nulla referat vestigia. Hoc tantum liceat adnotare, quod iidem, si forte Eusebium Hieronymumque authentiam negasse urgeant, non liberi sint a suspicione praeconceptae quam foverint opinionis; deinde, quod gravior etiam sit auctoritas et vis argumentorum non ex ipso libro diiudicando, sed aliunde petitorum, ubi nullum eiusdem scriptoris, quod comparari possit et unde indoles eius cognoscatur, adsit opus.

Deinde viros hos Alexandrinos vituperant, quod in arte critica tractanda et rudes fuerint et parum accurati, quippe qui etiam Sibyllinos libros aliosque

---

15) *Iones* p. 535: „Suppose then that one father (iam enim omittit Origenem, confundens ubique quaestionem de authentia epistolae atque de canonica eius auctoritate) had too high an opinion of a book, are we to be governed in determining the Canon by the private opinion of one single writer? Eusebius and Ierome expressly reject it as apocryphal, but Clemens cites it, must it therefore be genuine?" Similiter Ceillier p. 500: „Si le témoignage de deux ou trois anciens suffisait pour donner autorité à un ouvrage, nous nous trouverions obligés de reconnaitre pour divins les écrits des Sibyles, cités comme divins par un plus grand nombre d'auteurs, que l'épitre de S. Barnabé." Rectius *Basnage*, qui, quamvis epistolam nostram suppositam censeat, obiicit tamen Moinio, Polycarpi eam esse somnianti, obstare consensum antiquitatis, qui permagni in eiusmodi rebus sit habendus." p. 618.

apocryphos permultos promiscue laudatos in suos usus verterint[16]). Longum est minimeque nostrum, tantorum virorum fundere elogia. Quorum etiam, libros N. T. ubi laudant, quanti alius neminis, aestimantur testimonia. Qui tanti viri, si alibi erraverint, non est, quod hanc ob causam omnino debitam fidem illis denegemus. Atque, si non in omnibus, certe in plurimis assentiendum iis, qui libros inferioris notae ubi allegant Clemens et Origenes, ostenderunt, quam accurate eos a ceteris distinxerint[17]). Fac praecipue Clementem in nonnullis, quos obiter citat erraſſe libris e. g. in libro *κήρυγμα Πέτρου*. Verum toties tantaque cum gravitate Barnabam citat, tantum eius est erga illum studium, ut fere non liceat dubitare, quin certis argumentis de authentia eius ipsi fuerit persuasum. Omnino in singulis tota haec obiectio nihil valet.

Addunt tamen tertium argumentum quoddam, quo testium Alexandrinorum infringant auctoritatem. Sunt, qui dicant[18]) fidem eorum in hac re esse dubiam, quia nihil potuerit illis evenire acceptius, nisi quod ea divulgetur sententia, apostolicum iam olim virum tantae, quanta Barnabas inter Christianos pollebat auctoritatis, id interpretationis et *γνώσεως* praeivisse et sanxisse genus, in quo adhibendo,

16) *Menard* in notis p. 75. *Ceillier* l. c. *Basnage* p. 616. contra quos locutus est *Du Pin* Bibl. p. 6.

17) *Lardner* p. 434—52. *Less* über die Rel. T. I. p. 566.

18) *Lange* DG. Th. I. p. 63. *Schulthess* theol. Ann. Decemb. 1826. p. 495. Vide etiam quae virorum Alexandrinorum de epist. ad Hebr. testimonio opposuit divus *Eichhorn*. Einl. ins N. T. Th. 3. p. 412. 513. seqq.

propagando et defendendo ipſi plurimum eſſent occupati. Sed obſtat huic obiectioni primum, quod nullo loco eam ob cauſam attulerunt Barnabae epiſtolam, ut hanc ſuam ſive interpretandi, ſive argumentandi rationem huius hominis ſplendore iuvarent. Accedit, quod pari modo potuerit etiam alias ob cauſas diſplicere Alexandrinis Barnabae epiſtola e. g. ob chiliaſticas quasdam notiones, quas epiſtola fovere videbatur, Alexandrini deſpiciebant: quid quod ipſum Clementem epiſtolae quibusdam placitis et allegoriis contradixiſſe, idque tamen occultaſſe invenimus. Quod tamen contra hanc obiectionem plurimum facit, in eo poſitum eſt, quod Alexandrinis certe opus non erat ob illum ſuae γνώσεως uſum tanquam ob novarum rerum in re Chriſtiana ſtudium ſe defendere, nam quorum plurimum in eccleſia valuerunt nomina virorum exemplo e. g. Pauli ipſius hic uſus dudum erat ſancitus. Quod tamen infra fuſius nobis erit exponendum, ubi contra obiectionem eorum, qui ob huius γνώσεως et potiſſimum allegoriae in epiſtola uſum de genuina eius origine dubitaverint, authentia nobis erit defendenda.

Reſtat, ne aliquid omiſiſſe videamur, ut quorundam argumentorum non ex epiſtola ipſa, ſed aliunde petitorum, hic addamus mentionem, quae in rem noſtram allata ſunt a viro docto, qui in hoc negotio multum fuerat occupatus. Licet

tamen hoc negotium paucis absolvere, quoniam et levia sunt illa argumenta, et passim iam a viris doctis [1]) refutata.

Etenim saeculo XVII Le Moine [2]) primum existimavit, epistolam nostram Polycarpi esse opus. Caussa haec est, reperiri eam in codicibus MSS. post Polycarpi epistolam. Sed tamen hoc statuere vetat primum interna harum epistolarum conditio, quae minime absolutum unum conficiunt opus, et stylo etiam vehementer inter se discrepant. Deinde nihil est probabilius, quam quod uno e codice ceteri omnes, de quibus innotuit, manarint codices. Solent autem in codicibus varia compingi, quidni in hoc uno Barnabae Polycarpique codice idem evenerit? Adde quod initium epistolae Barnabae finisque Polycarpianae, si non graece (utrumque certe inepti illius qui aliena copulavit librarii amisimus vitio) tamen latine in veteribus exstant versionibus: versio autem vetus illa Barnabae non post Polycarpi epistolam, sed post Tertulliani de cibis Iudaicis librum olim reperiebatur. [3])

Deinde Moinio parum probabile visum est easdem fere sententias, quas in epistola ad Hebraeos Barnabas iam proposuerit, et eodem fere modo eum iterum in epistola nostra exposuisse. In qua re nihil necesse est addamus [4]) de ingenti inter utrumque auctorem discrimine; nihil de epistolarum similitu-

---

1) *Le Nourry*, *Basnage*, *Cave*, l. c.

2) *Le Moine* Varia Sacra. T. 1. Prolegg.

3) Vide supra p. 6.

4) Exposuerunt haec *Michaelis* Einl. p. 1348. (Ed. 4.) *Eichh.* l. c. T. 3. p. 467 seqq.

dine, quae certo non tanta eſt, ut non potuerit idem auctor, variis praecipue hominibus utramque ſcripſiſſe. Nullis enim certis argumentis ipſa illa Tertulliani Barnabam auctorem eſſe epiſtolae ad Hebraeos nititur ſententia, in quam quomodo forſan potuerit incidere, ſupra monuimus.

Tertium, quod reſtat Moinii argumentum in eo eſt, quod teſte Alexandro Monacho in ſepulcro evangelio Matthaei muniri pectus ſuum iuſſerit, non epiſtola, quae hodie illi tribuitur. Nihil hic dicimus de fide (de qua infra loquendum), Alexandro illi Monacho quae debeatur. Scilicet doctiſſimus Le Moine ſibi mortuo in ſepulcro apponi iuſſit non evangelium, ſed ſua „Varia Sacra."

Videmus graviſſimorum teſtium auctoritate et tantum non omnis antiquitatis conſenſu librum de quo agimus, adiudicari Barnabae, neque ullum inter veteres alium quendam ſuſpicatum eſſe operis auctorem, imo fuiſſe, quibus de authentia eius tam firmiter fuerit perſuaſum, ut in re dogmatica illa uti non dubitarent. Sed tamen quantumcunque adiuvari poſſit authentia hoc tanto externorum, quae dicunt argumentorum robore, tamen non eſſet, quod contra tantorum virorum auctoritatem opus ſuum Barnabae dubitaremus abiudicare, ſi in ipſa epiſtola occurrerent, quae alium quendam virum eius auctorem eſſe proderent.

Profitentur autem multi deprehendiſſe ſe in epiſtola eiusmodi veſtigia, quibus non ſolum ab alio quodam auctore, ſed etiam alio, quo Barnabas vixit tempore, epiſtolam compoſitam eſſe eluceat. De tempore primum videamus.

Exſtat in epiſtola Barnabae locus [1]) unde apparet illo, quo ſcriptus ſit tempore iam dirutum fuiſſe templum Hieroſolymitanum. Quo tempore negant adhuc vixiſſe Barnabam, idque nunc N. T. quibusdam locis illuſtrare ſatis habent, nunc aliis praeterea teſtibus adhibitis defendunt. Sunt etiam, qui Hadriani demum temporibus epiſtolam ſcriptam eſſe ex hoc loco derivent.

De his primum loquamur: ii enim ſi non errant, de authentia actum eſt. Locus, de quo agitur, hic eſt: *ἰδοὺ οἱ καθέλοντες τὸν ναὸν τοῦτον αὐτοὶ αὐτὸν οἰκοδομήσουσι· γίνεται· διὰ γὰρ τὸ πολεμεῖν αὐτοὺς καθηρέθη ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν, νῦν καὶ αὐτοὶ οἱ τῶν ἐχθρῶν ὑπηρέται ἀνοικοδομήσουσιν*

1) *Barn.* Epiſt. Cap. 16. Huc etiam pertinere videtur Cap. 4 extr., ut adnotavit *Clericus* H. E. p. 475. Verum non intelligo, quomodo evenerit, ut plane contrariam ſententiam hoc in loco ſe reperiſſe profiteatur *Samuel G. Lange,* nulla facta mentione quod ceteris omnibus, qui hunc locum inſpexerint, ſecus viſum fuerit. Quod tamen illum latere non potuit. Dicit autem DG. T. 1. p. 59. not. 1.: „Schwerlich würde der Verfaſſer ſo geſchrieben haben, wenn er nicht den Tempel als noch ſtehend vorausſetzte.“ Numeros paginae et capitis etiam parum accurate indicavit, ibidem in periodo quadam verba nonnulla omiſit, ut omnino videatur quaeſtionem de Barnaba non putaſſe operae pretium. Quod tamen mecum improbat, qui haec mea legit.

αὐτόν. Dicunt[2]) vocem γίνεται probare, quae in antecedentibus indicentur, quo epiſtola ſcripta eſſet eveniſſe tempore; atqui nemini licuerit, aedificando templo, quale Iudaico illo ſubſtituere debebant, Hieroſolymis dare operam, antequam Hadrianus excluſis Iudaeis novam illam Aeliam urbem colendam Chriſtianis permiſiſſet [3]), epiſtolam etiam antea non eſſe ſcriptam. Attamen ſiquidem [4]) ſecundum ea, quae l. c. adduntur apud Barnabam novum illud quale ibi commendatur templum exſtruendum ſignificat, quod non aedium in honorem Dei miſere exſtructarum faſtu, ſed animorum pectorisque οἰκοδομῇ, Chriſtiani Deum ſint veneraturi, non eſt quod hanc, de qua loquitur auctor „ſpiritualem templi aedificationem", quum cetera omnia metaphorice intelligi voluerit, ad ipſam Hieroſolymorum urbem pertinere cogitemus, ſed longe probabilius de cultu Dei vere Chriſtiano in univerſum ſive ab apoſtolis, ſive ab ethnicis ſive a Iudaeis olim adiuvando et propagando locum interpretamur. Neque ulla eſt cauſa, cur ante Hadrianum ea, qua Hieroſolyma ſteterant regione homines fidei vitaeque Chriſtianae operam dediſſe negemus. Adde, quod licet etiam illud γίνεται interpretari „hoc certiſſime fiet" [5])., quod etiam futuro, quod mox ſequitur, tempori, melius convenit. Nec mirum eſſet, ſi ani-

2) *Tentzel* l. c. p. 105 ſqq.

3) *Euſeb.* H. E. IV, 6.

4) Adnotante iam *Menardo* ad h. l.

5) Iam vetus interpres: „et fiet." Alii quidem praeſenti tempore utuntur, ut *Cotelerius* in verſione: „idque evenit", *Glueſing* (der apoſt. Männer Schriften ver-

madvertiſſet Barnabas et praedixiſſet, Iudaeos et Romanos fidem Chriſtianam olim eſſe amplexuros.

Minus tamen eſt probabile, Barnabam Hieroſolymorum interitum et praedixiſſe antequam evenerit, et ita praedixiſſe, quaſi iam eveniſſet [6]). Praeſtat quaerere, annon, quum Hieroſolyma delerentur, adhuc vixerit Barnabas. Negant hoc plurimi. Obvertunt, vix eſſe credibile, quod qui teſte Clemente Alex. iam inter ſeptuaginta illos Chriſti fuerit diſcipulos, vixerit adhuc et ſcripſerit poſt illum rei Iudaicae interitum [7]). At enim quidni ſexaginta vel ſeptuaginta annos poſſit exegiſſe? Addunt veroſimile eſſe, quod ante Paulum diem obierit, quum, poſtquam diſceſſerit Paulus et a Barnaba et a Marco,

---

deutſchet etc. Hamb. 1723): „und es geſchicht"; imo praeterito tempore *Wake* in verſione: „and ſo it comes to paſſ;" ſed ſecuti illi ſunt in ſequentibus lectionem ἀνοικοδομοῦσι, quae nulla codicum videtur niti auctoritate.

6) Quae ſententia a *Menardo* defenſa eſt, ut teſtatur *Laudius* in epiſt. ad Menardum (apud Cotel. in Prolegg. no. I, 3.) qui eum hanc ob cauſam vituperat. Sed monente archiepiſcopo monachus ſententiam ſuam videtur abieciſſe, certe in iis, quae ab eo in Barnabam conſcripta exſtant, nusquam haec opinio propoſita eſt. Cf. *Iones* p. 531.

7) *Le Moine* l. c. T. 2. p. 918. „invictum argumentum" hoc vocat. Ante eum *Laudius* l. c. eandem ob cauſam epiſtolam abiudicaverat Barnabae. Secuti ſunt *Oudin* aliique. Recentiores, quamvis novis modis id defendant, tamen infirmitatem huius argumenti non diffitentur cf. *Iones* p. 529 ſeqq., qui Barnabam tamdiu vixiſſe etiam propterea negat, quod de nemine apoſtolorum niſi de Ioanne Ieſus miratus ſit (Io. 21!) fore illum inter vivos usque dum ipſe rediret.

poſtea tamen iterum ei adſit Marcus ille [8]), qui dubitaverit profecto deſerere Barnabam ſuum, antequam ille deceſſiſſet, atque quaerere rurſum Pauli gratiam et conſortium. Attamen, quod alii monuerunt [9]), licet arguere, Barnabam, quum ſe a Paulo ſeiunxiſſet (circa annum 51) in eius ſocietatem rediiſſe, etenim non ſolum poſt annum 56 quo ſcripta eſt 1 Cor. [10]), ſed etiam ſeriore quo 2 Cor. ſcripta eſt tempore, Barnabam iterum adfuiſſe Paulo, ſi quidem *ἀδελφὸς* ille, cuius 2 Cor. 8, 18 fit mentio, praeeuntibus iam veteribus [11]), de Barnaba ſit intelligendum. Imo id ipſum quod Io. Marcum in ſocietate Pauli iterum deprehendimus, reconciliatos eſſe utriusque apoſtoli animos probat potius, quam mortuum eſſe Barnabam, antequam ad Paulum potuerit redire Marcus.

Solent autem praeter libros N. T. Barnabae alia quoque in hac re laudari ſcripta. Circumferuntur enim et Alexandri monachi Cyprii quaedam laudatio Barnabae [12]) et liber ſub no-

---

8) *Philem.* 24. 2 *Tim.* 4, 11. *Col.* 4, 10.

9) *Galland.* l. c. p. XXXIV. *Schmidt* Einl. ins N. T. T. 1. p. 291. 41.

10) Cf. 1. Cor. 9, 5—6.

11) *Chryſoſt.* Hom. 8. in 2 Cor. Opp. T. 10. p. 564; idem cenſuit Barnabam etiam, dum epiſt. ad Coloſſ. ſcriberetur, adhuc adfuiſſe Paulo. Cf. Homil. 11. in Col. Opp. T. 11. p. 406. — *Theodoret.* ad 2 Cor. 8, 18. Opp. T. 3. p. 243.

12) *Alexandri* monachi Cyprii laudatio Barn. deſcripta ex MS. Vatic. cum verſione latina et cum adnotatione legitur in Actis Sanct. Iun. Vol. 2. p. 436 — 53. Eſt autem hic ſcriptor primum incertae aetatis (*Cave* T. 2. Diſſertatt. I. p. 2.) qui tamen non ante ſaeculi V finem vixit, quum tradat, quae tunc evenerint: *Baronio*, qui exeunte ſaec. V. illum vixiſſe contenderat (ad ann. 51.)

mine Io. Marci editus, mortemque quam in Cy-

---

validis argumentis repugnavit *Tillemont* (l. c. Not. 3. p. 655.), imo *Gallandius* contra *Mazochium*, qui eum desinente Saec. VI. floruisse statuerit, ingenue dicit, Alexandrum monachum, quippe qui Nicephori descripserit vitam, antiquiorem Saec. IV. non fuisse, idque constare inter eruditos. Deinde ea huius scriptoris est indoles, ut quaecunque super ea, quae referuntur in Actis Apost., de vita Barnabae ipse tradiderit, ea videatur aut ex ipsis Actis, addita apostolici aevi vulgari cognitione, extorsisse, aut ex suis (sunt enim passim non minus incredibilia, quam absurda) temere laudandique in modico studio abreptum addidisse. Ceterum quo consilio Anthemius Cypri episcopus de corpore Barnabae sibi divinitus indicato videtur gloriatus esse, eadem mente etiam Alexander ille monachus Barnabae elogium composuisse videtur, sive quod fere eodem tempore vixerit episcopique studiis subvenerit, sive quod seriori aevo vivens, simili data occasione similia ipse in ecclesiae Cypriacae commodum fuerit secutus. De Anthemio autem quid statuendum sit, statim, ni fallor, apparebit. Narrat *Theodorus* Lector (H. E. II. p. 557. ed. Vales.): *Βαρνάβα τοῦ ἀποστόλου τὸ λείψανον εὑρέθη ἐν Κύπρῳ ὑπὸ δένδρον κερατέαν ἔχον ἐπὶ στήθους τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον, ἰδιόγραφον τοῦ Βαρνάβα ἐξ ἧς προφάσεως καὶ περιγεγόνασι Κύπριοι τῷ αὐτοκέφαλον εἶναι τὴν κατὰ αὐτοὺς μητρόπολιν, καὶ μὴ τελεῖν ὑπὸ Ἀντιόχειαν· τὸ δὲ τοιοῦτον εὐαγγέλιον Ζήνων ἀπέθετο ἐν τῷ παλατίῳ.* Componamus huic Alexandrum monachum, qui (l. c. p. 447 — 53.) rem fusius exposuit. Etenim, acerbe contra Petrum Fullonem invectus: *Ὁ γναφεὺς,* inquit, *καὶ ἐπί τὰς οὐδαμότεν αὐτῷ ὑποκειμένας ἐπαρχίας ἐπέβαλε τὰς χεῖρας — καὶ ἐλεύθερον καὶ ἀποστόλικον θρόνον τῆς Κύπρου ἁρπάσαι καὶ ὑφ' ἑαυτὸν ποιῆσαι ἐπεχείρησε· καὶ ἀναφορὰν ποιεῖται πρὸς τὸν κρατοῦντα ψευδηγορίας μεστὴν, ὅτι, φησίν, ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἀπὸ Ἀντιοχείας ἐν Κύπρῳ ἐξήχηται, καὶ δὴ τὴν ἐκκλησίαν Κύπρου ὑπὸ τὸν τῆς Ἀντιοχείας θρόνον εἶναι.* His rebus Anthemius episcopus (*ἀνὴρ θαυμάσιος τὰ μάλιστα ὀρθο-*

pro passus sit Barnabas, describenr [13]); citantus in-

δοξότατος, ὀλιγοστὸς δὲ πρὸς διάλεξιν τῶν ἀντιδιαθεμένων) quamvis poterat ipse optime sibi consulere provocando ad decreta Ephesinae synodi, quae actione VII Cypri episcopis, nulla quidem facta mentione iura sua contra Antiochenos defendentibus, ab eorum potestate exemtos declaraverat (*Mansi* Tom. IV. p. 1465 — 70) tamen sive quod decretum ignorabat, sive quod dubitabat, quum contra Monophysitas esset dimicandum, quin huius synodi decretis se obstrictum profiteretur, illud certe misit et quid faceret, nesciebat. In quo tanto discrimine Barnabam ipsum patriae suae episcopoque subvenisse auctor est monachus: „eum Anthemio ter apparuisse dormienti, locumque, quo ipse sepultus sit, patefecisse: Anthemium autem loco indicato et integrum corpus, quod ante V. saecula lapidibus fuerat obrutum rogoque impositum (cf. p. 445), et Matthaei reperisse evangelium manu Barnabae thyinis lignis inscriptum; mox profectum Constantinopolim, tantoque ibi prodigio in concilio exposito, ad silentium redegisse adversarios, qui Antiochiam Cypri dominam esse opponerent (ἐδόκουν δὲ τοῖς παροῦσιν εὔλογα λαλεῖν) et imperatorem, codice illo pretiosissimo donatum, laetumque ὅτι ἐν τοῖς χρόνοις τῆς βασιλείας αὐτοῦ τηλικοῦτον θαῦμα ἐποίησεν ὁ θεός, eo statim adduxisse cum plurimis, qui imperatoris pietatem secuti sunt optimatibus, ut darent, unde splendidissimum templum tumulo Barnabae posset imponere episcopus.“ Quae ut rectius diiudicemus, meminerimus quoque primum quanto erga Monophysitas odio tum temporis exacerbati fuerint, qui Chalcedonensis Synodi defenderent placita, deinde quam acceptum fuerit etiam Zenoni offerri sibi, quae facerent contra Fullonem istum, quem ex Antiochena sede, quam adhuc ille tenebat, postea demum eiicere contigit, quantique imperatori fuerit, conciliare sibi et augere episcopos, qui istius turbulenti hominis potentiam frangeret.

13) Barnabae acta et passio in Cypro, sub nomine Io.

cognitiones Clementis [14]) et quae Dorotheo tribuitur synopsis de vita prophetarum, [15]) quorum in altero libro Barnabam Romae evangelium praedicasse, in altero ecclesiam Mediolanensem condidisse traditur. Quorum quaenam fides sit testium, id accuratius quaerere eorum est, qui de vita Barnabae agant: certe tam suspecta est, ut illis in hac re uti non liceat: adde quod pauca tantum, eaque obscura sint in illis vestigia, unde colligi possit, quae de morte Barnabae tradantur, ea evenisse, antequam res Iu-

Marci consobrini eius edita ex MS. Vatic. cum interpret. lat. exstat etiam in Actis Sanct. Iun. p. 431 — 36. Huius scriptoris non maiorem esse auctoritatem, similibus de causis visum est viris doctis. Cf. *Tillemont* l. c. *Basnage* p. 614 — 16. *Cotta* p. 633. *Walch* p. 338. *Stolle* p. 7. *Pertsch* p. 229. In qua re etiam memineris non esse, quod ab evangelista Marco distinguas Ioannem Marcum. Cf. *Schmidt* Einl. T. I. p. 41. *Eichh.* Einl. T. 1. p. 544.

14) Constat librorum recognitionum Clementis, quum sint suppositi, suspectam quoque esse fidem. Sed nihil haec ad nostra. Imo si verum est, Barnabam Romae fuisse, probabile est, eum diu vixisse.

15) *Doroth.* Synops. Bibl. Patr. T. 3. p. 348. De hoc opere, quod suppositum censet, v. *Cave.* Neque alibi apud veteres traditur apud Mediolanenses fuisse Barnabam, quod vel propterea merito visum est suspectum, quod ipse Ambrosius de eo silet, tum aliis in locis, tum ubi se praeclarorum antecessorum, Dionysii aliorumque fidem non deserturam esse affirmat. Cf. *Tillemont* not. 6. Verum seriores permulti in eo operam collocarunt, ut Barnabam Mediolani fuisse, ecclesiamque ibi condidisse probarent. cf. *Nov. Act. Erud. Lips.* Decemb. 1755. p. 715.

daica interierit[16]). Sed nobis quoque huius generis ſcriptoribus[17]) ad authentiam ſtabiliendam uti non licet. Omnino epiſtolam dummodo aliis idoneis argumentis Barnabae vindicare contigerit, obſcuris iſtis ſcriptoribus ubi ab hac diſſentiunt, rectius anteponemus.

Verum alii praeterea extant in epiſtola loci, in quibus ineſſe exiſtimarunt, quae ſerius quo ſcripta ſit tempus manifeſto arguerent. Novae enim obiectionis copiam dedit locus, ubi de ſabbato et de die dominica ſermo eſt[18]). Inde enim apparere putaverunt, eo tempore ſcriptam eſſe epiſtolam, quo ſabbati inter Chriſtianos celebratio iam eſſet abrogata, quod apoſtolico aevo eveniſſe negant. Conceditur quidem, aliis negantibus[19]) Chriſtianos primaevos diei dominicae celebrationem ſabbato non ſubſtituiſſe, ſed utraque aliquamdiu una uſos eſſe. Sed eam ipſam

---

16) Alexander Monachus (p. 445. §. 30.) Paulo et Petro adhuc viventibus Barnabam e vita exceſſiſſe indicat. Io. Marcus (p. 434. §. 47.) Iebuſaei cuiusdam conſanguinei Neronis facit mentionem, qui inter Cyprios magna illo tempore gaviſus ſit auctoritate. Hinc tamen Neronem adhuc regnaſſe non conſequitur. Imo ex ipſo Io. Marco ſunt, qui derivent, anno demum 76. Barnabam eſſe mortuum. cf. *Galland.* l. c. Ceterum neminem eſſe inter veteres, qui martyrem Barnabam nuncupaverit, adnotavit iam *Wake* l. c. p. 96.

17) Mentionem fecit *Papebrochius* (Act. Sanct. l. c. p. 422) libri cuiusdam inſcripti „S. Barnabae periodi", unde derivarunt anno 102. p. Chr. mortuum eſſe Barnabam.

18) *Barn.* Epiſt. Cap. 15.

19) *Stark* KG. T. 2. p. 383.

19) *Auguſti* Lehrb. der chriſtl. Alterth. §. 63. coll. *Röhr* Pred. Bibl. T. 6. p. 419.

ob causam vituperatur et tanquam in fraude detectus notatur qui Barnabae personam simulaverit epistolae auctor, quippe qui sabbatum inter Christianos abrogatum esse commemorans Barnabam quae ad suum tempus non pertinerent loquentem introduxerit. At enim verba ipsa ubi inspexerimus nihil sane in iis reperiemus, unde tempore quo scripta sint appareat abrogatum esse sabbatum, imo his verbis: *τὰ νῦν σάββατα* contrarium indicatur. Poterat forsan felicius (quod tamen a nemine factum video), contra authentiam epistolae ita verti hic locus, ut diem dominicam quo scripserit Barnabas aevo eamque in memoriam resurrectionis Christi celebratam esse neget quis, [20]) quum praeter hunc Barnabae locum ante Iustinum Mart. certa huius celebrationis vestigia reperiantur nulla. [21]) Nec tamen ita quis multum effecerit, si quidem contra desunt etiam quae diem solis non celebratum esse probent argumenta. Omnino quam maxime est probabile, qui fere quotidie [22]) convenere Christianos primaevos, quum primo hebdomadis die congregarentur, mox consuevisse

20) Ita Barnabas. Nolim enim accedere *Frankio* Diacono (de diei domin. celebratione. Halae 1826. p. 36. 37.) qui Barnabam in memoriam resurrectionis diem solis celebratum voluisse ubi negat, videtur subtilius disputasse quam verius, si quidem eo consilio ab auctore epistolae „additum est, Christum hoc die in vitam rediisse," ut „propterea" quoque dignus habeatur dies, qui, „in laetitia agatur."

21) Nihil enim probat *Pseudo-Ignat.* ad Magn. p. 57. (ed. Cler. T. 2.)

22) *Act.* 2, 46. 5, 42. Cf. *Franke* l. c. p. 8.

ſibi revocare in memoriam, hoc ipſo die Ieſum e ſepulcro rediiſſe, eamque ob cauſam magis magisque eum habere ſanctum. Afferunt etiam qui tempore Barnabae epiſtolam ſcriptam eſſe negant, obſtare eam, qua libri ſacri et laudari in ea et explicari ſolerent methodum, quo minus epiſtola poſſit cuius nomen ferat ei adiudicari. Quam obiectionem quum etiam argumentis, quibus diverſum ab ipſo Barnaba auctorem defendunt, illi probare ſoleant, a nobis quoque aptius examinabitur, ubi a tempore, quo prodierit epiſtola ex ipſa eruendo procedendum erit ad ipſam auctoris perſonam ex huiuscemodi, ſi quae fuerint, veſtigiis ſive cognoſcendam ſive confirmandam. Quod quo minus nunc aggrediamur negotium quum nihil nos impediat, niſi quae de apoſtolici temporis veſtigiis in epiſtola obviis poſſent forte et deberent hoc loco exponi, addique iis, quae in hac re virorum doctorum obiectioni modo oppoſuimus; iam quum alia quoque id facere ſuadeant, haec nunc omittimus, et ſtatim videamus quaenam argumenta ex epiſtola petita ſint probatura eam alii cuidam eſſe tribuendam, Barnabae abiudicandam.

Magna ſententiarum de eadem re varietas, quae philoſophis minus recte ſolet dari opprobrio, non poteſt non movere ſuſpicionem in quaeſtione hiſtorica. Eſt igitur, quod nos offendat, ubi tam varia afferre, tamque inter ſe diſſentire videmus noſtros viros doctos, qui alium, ac quem ſummi inter veteres viri exhibent, epiſtolae defendunt auctorem, nixi veſtigiis in ipſa epiſtola obviis. In qua re iam vidi-

mus diſſenſum illum de tempore, quo prodierit epiſtola: accedit, quod alii Iudaeum quendam auctorem eſſe ſunt arbitrati, alii gentilem, ſive Alexandria, ſive aliunde ortum; ambigitur, utrum fraude occulti auctoris, an lectorum errore Barnabae ſit tributa; ſunt etiam, qui epiſtolam non ex auctoris nomine, ſed ob argumenti rationem nomine Barnabae i. e. conſolatoris inſcriptam eſſe velint; nec deſunt, quibus alii eiusdem nominis auctori epiſtolam tribuere placuerit; imo, ut ſupra iam commemoratum eſt, affertur Polycarpi nomen tamquam auctoris, quem ceteri authentiae adverſarii ſe ignorare ingenue profitentur. Quae tamen placita maximam partem ad meras pertinent coniecturas. Quod enim de alio quodam Barnaba dicunt [1]), in eo mirum in modum teſtibus veteribus fides nunc habetur, nunc denegatur: quod enim illi referunt, qui epiſtolam noſtram ſcripſerit, eius fuiſſe nomen Barnabae, id arripiunt creduntque; quod autem addunt iidem, hunc Barnabam notiſſimum illum eſſe fidei inter gentiles propagatorem, id in dubium vocant. Taceamus iſtam impeditiores huius generis quaeſtiones facile profligandi tam tritam eſſe methodum tantumque eius abuſum, ut cum taedio ſtatim moveat aliquam erga ſe ſuſpicionem. Verum ubi ne ulla quidem hiſtorici argumenti ſpecie eam reperimus firmatam (exſtat au-

1) Praeiverat hanc coniecturam — Tenzelio, Ittigio et Gallandio teſtibus, nam liber ad manus non eſt — *Schotanus* in diatribe de auctore LXX. Non diſplicuit illa *Ittigio* (diſſert. de patr. apoſt. p. 184. H. E. ſelect. capita p. 122.) *Moshemio* (Inſtitutt. p. 51. Comment. ante Conſt. p. 161. Hiſt. Saec. I. p. 221. in Orig. adv. Celſ. I. 13. p. 135.) *Leſſio* (über die Rel. T. 1. p. 506.).

tem alterius Barnabae nullum usquam veſtigium) nil eſt quod illa diutius moremur. Quod autem eam attinet ſententiam, qua epiſtolam noſtram ex argumenti ratione voce Barnabae tanquam titulo uſum eſſe exiſtimant, „eodem fere modo, quo liber Salomonis Coheleth ſive eccleſiaſtes dictus aut Hermae opus paſtor ſit inſcriptus [2]),“ hujus quidem coniecturae eadem eſt ratio: quibus enim nomen Barnabae debetur teſtibus, eorum iterum in dubium vocatur auctoritas; adde, quod opus, de quo agimus, non eſt commentatio, quae poterat forſan tali quodam nomine commode inſcribi, ſed epiſtola; denique ſtatim apparet, quod alii quoque monuerunt, argumentum eius non eſſe conſolatorium, ſed vel didacticum vel paraeneticum. De ſententia autem Moinii, qui Polycarpum epiſtolae auctorem eſſe exiſtimavit, ſupra [3]) iam vidimus: unum hoc addere huius eſt loci, ſtylum etiam utriusque ſcriptoris, ut Cavei utamur verbis, diſtare *ὅσον οὐρανός ἐστ' ὑπὸ γαίης*.

His quidem probabiliores ſunt reliquae, quas conceperunt coniecturae, et ſi non idonea, aliqua certe adiutae argumentatione. Verum quod ſemel monuiſſe ſufficiat, in illo coniecturarum fingendarum ſtudio, ut in illa teſtium auctoritatem minuendi libidine fere negari non poteſt, qui iſta ſecta-

---

2) *Fell* in Praef. Edit. Oxon. in Edit. Cotel. p. 13. *Diſſert. mêlées* T. 2. p. 46. *Iortin* Anm. zur KG. T. 1. p. 323. Cf. *Ittig* l. c. De ſignificatu nominis Barnabas, בַּר נְבוּאָה., quod Lucas reddit *υἱὸς παρακλήσεως*, cf. *Kuinoel.* in Act. 4, 36.

3) V. ſupra p. 4.

ti ſint[4]), a partium ſtudio non plane liberos fuiſſe. Quod etiam nonnulli tantum non aperte ſunt profeſſi. Aliis autem videtur impedimentum obieciſſe quae epiſtolam e canone reiecerat eccleſia [5]) cui verebantur contradicere; plurimis ſimilis fuiſſe videtur religio, qua ſibi perſuadere non potuerunt, quem apoſtolum vocaret N. T., eum libelli, qui ipſis diſpliceret, eſſe auctorem [6]). Huiusce generis ſtudia etiam in hac re corrupiſſe critici examinis libertatem, ſanctoque veri pro virili indagandi officio fuiſſe perniciosa, facile apparebit, ubi quid alienum a perſona Barnabae viris doctis in epiſtola fuerit viſum cognoverimus.

---

4) Non male *Pertſchius* ICtus p. 230: „In neuern Zeiten haben Einige mit der Sprache nicht herausgewollt."

5) E. g. *Ceillierio* p. 501: „On ne manque pas à la verité de réponſe à toutes ces difficultés, mais elles ne ſatisfont pas. Ainſi nous aimons mieux ne pas attribuer cette épitre a S. Barnabé, que de nous reduire à excuſer des fautes dans un apôtre". Id. p. 500.: „Les autorités, quelque reſpectables qu'elles ſoient, ne ſont ni aſſez expreſſes, ni en aſſez grand nombre pour nous engager à recevoir au nômbre des divines écritures un écrit que l'Egliſe n'y a point mis." Obiicit etiam *Nourrio* *Tillemontius* (p. 659) eum quid de epiſtola ipſe ſentiret ingenue non eſſe profeſſum.

6) Ita indoles ingentis illius, quam contra authentiam epiſtolae Barn. *Ioneſius* conſcripſit, commentationis ex hoc uno loco optime intelligitur et quaſi recluditur: „And can it be imagined, God would ever put his creatures under a neceſſity of believing things ſo contrary to their beſt improved and informed judgments? or can ſuch an author be fit to be a guide to us in matters of everlaſting conſequence? God forbid!" p. 554.

Pertinent autem, quae hic afferuntur aut ad epiſtolae argumentum et materiam, aut ad eius colorem et formam. De poſteriore primum videamus. Quae hic obiiciuntur quamquam minus in iis conſpicua eſt praeconcepta illa opinio, alia qua premuntur difficultate impeditiores fiunt et fere inania. Quum enim nullum aliud*), quod comparari poſſit, eiusdem ſcriptoris exſtet opus, quum de Barnabae hiſtoria tam parum memoriae ſit proditum ut quid ingenio eius fingendo et excolendo conduxerit, prorſus neſciamus, authentia aegre infringitur argumentis ex auctoris dicendi componendique ratione petitis. Hinc noſtrum etiam eſt, in hac quaeſtione brevitati conſulere. Duo hic obiecta ſunt a duobus viris doctis, quorum alter [7]) gentilem non Iudaeum epiſtolae eſſe auctorem probaturus negat in ſermone Graeco Hebraismos, qui tamen in epiſtola occurrant nulli, potuiſſe a viro Iudaeo vitari; alter [8]) Alexandrinum epiſtolae defenſurus auctorem, Alexandrini etiam ſermonis veſtigia in ea deprehendiſſe ſibi viſus eſt. Ponamus, utrumque virum, quae de dicendi genere adnotaverit, ea recte adnotaſſe, ſed nunquam concedamus, contra authentiam ita aliquid effici. Nam Hebraismos quod attinet, quis unquam demonſtrabit, Barnabam virum Cyprium, non Hieroſolymitanum, data etiam opera eos evitare non potuiſſe [9])? omitti-

*) Quod enim nomine eius circumfertur evangelium nemo eſt, quin ſuppoſitum habeat.

7) *Iones* p. 528. nr. 3.

8) *Le Moine* T. 2. p. 683 ſq. *Tentzel* p. 103 ſq.

9) Iuvat audire *Voſſium* (Edit. Cotel. p. 10.): „Unde iſti iſthoc colligere potuerunt? Num quid alia eorum

mus enim, quod alii [10]) iam exposuerunt, exemplisque abunde illustrarunt, Graecum, quo epistola scripta est, sermonem non exstare eximium, sed prodere tironem in arte scribendi, quum salebrosa et spinosa ibi sint plurima, enuntiationes parum bene copulatae, elocutio languida et parum perspicua, interrogationis unica figura ad nauseam usque frequentata. Imo sermonis Graeci parum usitati exemplum statim occurrit usus vocis περίψημα, quod unicum Alexandrini idiomatis (quae de Alex. S. S. interpretatione monuerunt infra quaeramus) attulerunt, qui tantum abest, ut Alexandriae prodiisse epistolam, vel a viro Alexandrino scriptum esse probet, ut etiam reperiatur apud Paulum apostolum [11]).

Iam igitur videamus, quid in ipsa epistola h. e. in eius effatis et sententiis obstiterit viris doctis, quo minus sibi persuaderent, genuinam eam esse, sive quod gentilem [12]) quendam virum eius auctorem fuisse, sive

scripta viderunt? At, inquiunt isti, sese nihilominus scire vera esse, quae sentiant. Si ita est, iam verbum non addam."

10) *Eichh.* l. c. T. 3. p. 468 seq. *Michaelis*, qui Graecum, quo epist. Barn. conscripta est, dicendi genus longe inferius censet illo, quo epist. ad Hebr. sit scripta (cf Einl. Ed. 4. p. 1399.) tamen dicit: „Ohngefähr ein solcher Mann als Barn., Levite, der jüd. Gelehrsamkeit kundig — könnte vielleicht so gutes Griechisch geschrieben haben, als dieser Brief (ad Hebr.) ist." Cf. *Clericus* H. E. p. 474: „Stylus minime fucatus et qualis ab homine Hebraeo Graecarum literarum experte expectari poterat." V. infra p. 72. n. 47.

11) 1 *Cor.* 4, 13.

12) Hanc sententiam praeter Moinium Iones fere unicus est, qui defendat; quum ceteri fere omnes ob illam,

quod Iudaeum *) cenſerent, ſive quod quis fuerit auctor ſe nescire profiterentur. Longe plura hic adverſariorum tela, ſed longe acrius etiam, quod tenuit plures, praeconceptae opinionis ſtudium. Conqueruntur autem nimiam eſſe auctoris in allegoriis fingendis libidinem et abuſum, confidere eum apocryphis fabulisque Iudaicis, deſiderari ſimul apud illum cultus Iudaici accuratam, imo literarum hebraicarum notitiam, corrumpi ab illo ipſos e V. T. locos depromtos, nec non quam N. T. habuerit rationem ſuſpicionem in eum movere; praeterea liberum eum non eſſe ab erroribus in ipſis rebus fidei commiſſis; eſſe credulum, qui turpes fabulas pro veris venditet, imo malignum apoſtolorum calumniatorem.

In allegoriis autem propterea potius haeſe-

quam epiſtola prae ſe fert Iudaicae eruditionis ſpeciem, Iudaicum etiam eius auctorem agnoſcant. Attulit autem Iones loca, quae ſuam adiuvent coniecturam. Derivat ex cap. 26. auctorem olim non unum Deum coluiſſe, ſed idola. Verum πρὸ τοῦ πιστεῦσαι τῷ Θεῷ nihil aliud ſignificat niſi „antequam fide vere Chriſtiana Deum coleremus“; unitatis Dei nulla mentio. Quod autem de corde additum eſt, ὅτι ἦν πλήρης εἰδωλολατρείας, in eo aut continuatur illa metaphora, qua ſecutus Paulum templo comparaverat cor humanum, ut impurum quodlibet hoc nomine indicetur, aut, quae eſt auctoris noſtri adverſus omnes rei Iudaicae tenaciores indignatio, acerbo quodam nomine notatur fides et cultus Iudaeorum. Eadem ratio eſt ceterorum omnium quos attulit locorum, quibus epiſtolae auctor ſe ſuosque Iudaeis oppoſuiſſe creditur. cap. 2. 3. 5. 8. Etenim in his etiam Chriſtiani, non gentiles opponuntur Iudaeis.

*) *Baumgarten* Streitigk. ed. *Semler.* T. 2. p. 3 ſqq.

runt [13]), quod quae huiuscemodi epiſtola continet ipſa displicent illis, vel falſa ineptaque eſſe videntur, quam quod re vera dubitent, an ſcribere talia non potuerit Barnabas. Et poteſt illud quidem concedi adverſariis, nobis non amplius placere allegoricam iſtam interpretationem, neque idoneam videri rationem qua ſuperſtructa ſit, ſed quid hoc ad nos? Certe conſtat [14]) non demum, quod monent, a patribus Alexandrinis, ſed dudum antea Iudaeis allegoricam S. S. explicationem eſſe frequentatam. Quam enim in Homero explicando eiusque mythis defendendis Platone, imo Anaxagora auctoribus aliisque, Metrodoro Lampſaceno [15]), Heraclide vel Heraclito [16]) Stoicisque [17]) prae ceteris ſecutis, gentiles praeiverant methodum, eam mox in defendendo Moſe ingreſſi ſunt Iudaici philoſophi, id probaturi, quaecunque ope philoſophiae cognoſcantur, ea omnia in illo iam latere. Quorum primum Ariſtobulum quen-

---

13) Placuit haec obiectio, quae de allegoriis in epiſtola petitur poſt *Natalem Alex.* (Sel. Capit. H. E. p. 99.) omnibus quicunque authentiam epiſtolae impugnaverunt. Cf. e, g. *Thomaſii* cautelae circa praecognita Iurisprudent. eccl. 1712. p. 111. *Moshem.* Inſtitutt. p. 51, ceterosque. Plurimis verbis rem expoſuit *Iones* p. 539 — 54. Cf. *Neander* KG. T. 1. p. 85.

14) Cf. *Wake* l. c. p. 102 — 109, *Roſenmüller* Hiſt. Interpret. S. S. 1. p. 13 ſqq. *Eichhorn* Bibl. T. 5. p. 222 ſqq. *H. Planck* de cauſſis interpret. Philon. alleg. §. 8 — 17. *Schultheſſ* theol. Ann. 1826. Mai. p. 203 ſqq. Dec. extr.

15) *Tatian* adv. Graec. §. 37. p. 160.

16) Ita *Schultheſſ* l. c. p. 209.

17) *Cic.* de Nat. D. II, 28.

dam cuius adhuc apud patres Clementem Alex., Cyrillum et Eusebium exstent fragmenta[18]) tertio vel secundo, a. Chr. saeculo tradunt vixisse, qui utrum re vera vixerit, nec ne, non est quod hic quaeramus.[19]) Certe iam ante Philonem non paucos fuisse inter Iudaeos, qui hac interpretatione uterentur, ipsum Philonem[20]) et Eusebium[21]) habemus auctores, qui etiam apud Therapeutarum universam societatem allegorice interpretandi usum divulgatum esse referunt. Atque ipsius Philonis allegorice interpretandi ratio ei, qua noster utitur, tam similis est, ut illius sapientiam compilasse hunc accusaverint.[22]) At ne quis dicat Christianos primaevos istam procul habuisse interpretationem, ut omittamus quatenus Iesus ipse in interpretandis V. T. locis ea, quae apud cives suos valuit, usus sit arte, meminerimus tantum evangelistas et apostolos[23]), nec non Clementem Rom.[24]) et auctorem epistolae ad Hebraeos allegoriis extricandis non uno in loco dedisse operam. Igitur methodus illa allegorice interpretandi non solum a tempore nationeque Barnabae aliena non erat, sed omnibus, qui propagando evangelio inserviebant, quam maxime probata videbatur et apta, quo eius

18) Collegit haec fragmenta *Eichhorn* l. c. 281—98.

19) Dubitavit de primus *Ric Simon*; secuti sunt *Eichhorn* p. 254 sqq. *H. Planck* l. c. p. 14. Contrariam sententiam defendit *Valkenaer* de Aristob. Iud.

20) *Philo* de vit. contempl. p. 475. T. 2. Mang.

21) *Euseb.* H. E. II, 17.

22) *Rosenmüller* l. c. p. 65 sqq.

23) E. g. 1 *Cor.* 10, 1. 4. *Gal.* 4, 21. *Eph.* 5, 31 etc.

24) *Clement.* 1 Cor. 13.

aetatis homines bonae caufae conciliarentur. Hinc nihil mirum, quod Barnabas etiam allegoriis fit ufus. Sed mirum forfan, quo modo iis fit ufus: certe multi funt epiftolae adverfarii in fingulis, quas compofuit allegoriis vituperandis. Concedendum quidem eft, eum vocis *γνώσεως* ufum, qui in artem illam allegorice interpretandi transfertur, apud Barnabam primum occurrere. At enim, fi quidem interpretationis allegoricae id antiquiffimum cenfetur genus [25]), quod in ritibus cerimoniisque illuftrandis verfabatur, auctor epiftolae noftrae, qui allegoriis ubi operam dat in legibus Iudaeorum ritibusque interpretandis [26]) fere unice eft occupatus, etiam hac re fummae antiquitatis fert fpeciem. Adde, quod idem allegoriis fuis nimis fretus et abufus in eo quoque a ferioribus e. g. ab Origene [27]) difcedit, quod fimplicem genuinumque verborum fenfum tanquam prorfus falfum reiiciendum effe pronuntiat. [28]) Quae autem praeterea contra fingulas allegorias funt locuti, in iis fere nihil, nifi cur illae fibi improbarentur, expofuerunt viri docti; quod ut literis mandare illis quidem licuerit, nobis de authentia epiftolae difputantibus iftis immorari non licet.

25) Cf. *Planck* l. c. p. 59. §. 48.

26) *Barn.* Epift. Cap. 7. 8. 9. 10 etc.

27) Cf. *Guerike* de Schol. Alex. Theol. p. 42 fqq.

28) Huc pertinet prae ceteris Cap. 10, ubi de legibus cibariis loquitur Barnabas. „Μωσῆς δὲ ἐν πνεύματι ἐλάλησεν — οἱ δὲ κατ᾽ ἐπιθυμίαν τῆς σαρκὸς ὡς περὶ βρωμάτων προςεδέξαντο. — Βλέπετε, πῶς ἐνομοτέθησε Μωσῆς καλῶς! ἀλλὰ πόθεν ἐκείνους ταῦτα νοῆσαι ἢ συνιέναι! ἡμεῖς οὖν δικαίως νοήσαντες τὰς ἐντολὰς λαλοῦμεν ὡς ἠθέλησεν κύριος.

Nondum vero Barnabae allegorias prorſus omittere nobis licet: in quas propter aliam quandam obiectionem oculos convertere cogimur. Notant enim epiſtolae noſtrae auctorem tantam ubi V. T. attigerit probaſſe et levitatem et inſcitiam [29]) ut parum ſit veroſimile, Barnabam, quippe qui fuerit Levita, haec ſcripſiſſe. Ita cap. 6 monent, auctorem prophetam introduxiſſe

---

29) *Iones* p. 540 — 49. *Act. Erud. Lipſ.* 1749. p. 608 — 10. *Ittig Select. Cap. p.* 121 ſqq. — *Michaelis* (Einl. p. 1398.) auctorem epiſtolae vel literas, quibus utuntur, qui hebraice ſcribunt, edoctum negat. Mirum id quidem, ut in Levita. Quamquam ſerior aetas vidit etiam epiſcopos Chriſtianos legendi artis haud ita gnaros. Locus, unde hoc derivare ſtudet, eadem illa eſt allegoria, quae veteribus quidem tantopere arriſit, ut multi ſtudioſe eam repeterent, noſtratibus vero adeo diſplicuit, ut eius potiſſimum ineptia illis eſſet cauſa reiiciendae epiſtolae. Eſt autem haec allegoria in eo, quod CCCXVIII quos Abraham circumciderit ſervos, typum Ieſu eſſe auctor affirmat, ſiquidem literae I. H. (in his autem „ἔχεις Ἰησοῦν") Graecis ſignificent „octodecim," T autem et crucem indicet, et trecentos. In qua re notat Michaelis, auctorem epiſtolae ignoraſſe, et nomen Ieſu ſcribi ישוע, qui ח in fine ponendum eſſe exiſtimaret, et literam ת ſignificare trecentos, quae quadringentos indicaret. — „Unſinn kann der ehrwürdige B. geſchrieben haben und ich bedaure nur den lieben Apoſtel Paulus, deſſen Mitbote er ſo lange Zeit war: aber in den Buchſtaben ח, ע, ש, ת kann Barn., er mag ſo ſchwach ſein, als man ihn zu machen beliebt, dergleichen Fehltritt nicht begangen haben" Apparet autem, tota epiſtola, ut graece eſt ſcripta, ita etiam hanc allegoriam graecis ſuperſtructam eſſe literis, neque de Hebraicis literis eſſe cogitandum. Cf. *Schmidt* KG. T. I. p. 439 ſq.

loquentem, quae in toto V. T. nusquam reperiantur; cap. 7. 8. 12. idem commisisse et simul provocasse ad ritus Iudaicos, quae sic ut proponantur ab eo nusquam sint neque instituti neque celebrati. Etenim in plurimis, quos attulerunt locis concedendum est, quae ibi tanquam scripturae quaedam effata inferantur, ea aut omnino nusquam, aut alia in V. T. reperiri, ac sunt in epistola scripta. Quum autem quod statim apparet et alii soleant et Barnabas S. S. locos ita citare, ut textum LXX, quos tamen sequi consueverant, ad verba non semper reddiderint, unde facili coniectura colligitur, eos memoriter attulisse locos, non ex codice quodam, qualem pauci possidebant, accurate transscripsisse; corroboratur ita eorum opinio, qui locos illos, quos, quamvis in V. T. non obvios tamen Deo vel prophetae cuidam Barnabas acceptos retulerit, e libris apocryphis, quales plurimi illo temporo inter Iudaeos circumferebantur, huc manasse suspicentur, quum loci et temporis, quo praecepta essent Iudaeis ea, ad quae provocaret, facile poterant non solum ii ad quos scripsit, sed ipse quoque non distincte meminisse. Nolim autem Iudaici cultus ignorationis accusare virum. Nam rituum nonnullorum, quos colendos fuisse viri docti alibi traditum reperiant nusquam, si facit mentionem, e. g. cap. 7. sacerdotes comesisse exta hirci immolandi non lota, conspuisse eius caput[30]) et quae sunt eiusmodi; censeri possunt in hac lite aeque ac Barnabas ipsi erravisse viri docti, neque est, quod praepro-

30) De hoc ritu rursum inter se dissentiunt censor in Act. Erud. l. c. et Ionesius, concedente illo, quae hic negat, obtinuisse eam consuetudinem inter Iudaeos.

pere aut cultus Iudaici ignorationis aut piae fraudis commissae illum accusemus. Ceterum apparet etiam hac obiectione nullo modo effici, epistolam nostram esse suppositam; nam non minus incredibile est, si modo quis Barnabae personam induit, eum temere quae nemo Iudaeus noverit de cultu Iudaico finxisse.

Idem valet de alia quadam obiectione, quae tamen etiam per se est infirmior. Accusatur epistolae auctor [31]) cap. 12. V. T. consulto corrupisse, quum ea mente, ut suam argumentationem validius fulciret, vocem *Κύρῳ* in *κυρίῳ* mutaverit. Sed satis fecissent allegorice interpretanti non solum quae apud Iesaiam in LXX exstant verba *οὕτω λέγει κύριος ὁ Θεὸς τῷ Χριστῷ μου*, imo interiectae vocis *Κύρῳ* cum *κυρίῳ* similitudo, sed invenitur etiam, quae si nexum Barnabae respicis, impeditior est lectio *Κύρῳ*.

Sed novae surgunt obiectiones, velut hydrae capita. Dubitant enim etiam de authentia ob illam quae nostram epistolam inter et libros N. T. intercedat rationem. In quo quidem mirum, quum sint et qui contendant [32]) et qui negent [33]) in epistola nostra N. T. quosdam locos laudari, quod sunt etiam, qui utramque sententiam contra epistolae nostrae vertant authentiam. Alii enim ab illo quo Barnabas scripsit tempore adhuc alienum iudicant, libros N. T. laudari, quod tamen in epistola factum

31) *Barn.* Epist. Cap. 12. extr. cf. *Iones* p. 549.

32) *Lardner* l. c. p. 8 sq. *Olshausen* die Echtheit der 4 Evv. p. 411. sqq.

33) *Less* l. c. p. 506. *Rosenmüller* p. 47. *Lange* DG. T. 1. p. 55. *Eichhorn* Einl. ins N. T. p. 114 sqq.

esse existimant; alios offendit, quod qui postquam omnes Pauli epistolae datae fuissent scripserit huius apostoli comes et sodalis, nullam eius habuerit rationem, nec similia tractaturus usquam ad illum provocaverit. Hi certissime errant, nam etiamsi ponamus, Barnabam quae huc illuc missae essent, Pauli epistolas non ignorasse, nec quo minus earum rationem haberet, simultatem aliquam obstitisse, tamen vix licuit illi sperare, fore ut lectoribus suis maioris, quam quae similiter ipse affirmaret, aestimarentur effata Pauli, quippe quae nondum „terris semota suisque temporibus defuncta", nec superiore quadam auctoris dignitate adiuta viderentur. Ipsam autem quod attinet quaestionem, in epistola an sint loci quidam ex N. T. inserti, occurrunt quidem sententiae permultae, quae cum locis N. T. nonnunquam etiam ad verba consentiant, neque vero scriptori cuidam N. T. disertis verbis sint tributae. Sin igitur accedimus iis, qui nuper [34]) probabiliter exposuerunt, antequam nostra literis mandata essent evangelia, rerum a Iesu gestarum dictorumque notitiam inter eius discipulos ita esse circumlatam et ore traditam, ut quae saepius repetita essent apud varios istos homines fere iisdem quoque verbis contineri et ore tradi paulatim coepta essent; iam optime conspirat ea ratio, qua vir noster apostolicus attigit, quae praecipue in evangeliis N. T. etiam scripta reperiantur, sive illo quo epistola prodiit tempore iam fuerint, sive nondum fuerint literis consignata. Unus tantum exstat locus cap. 4., quo formulae illi proverbium sonanti

34) Cf. *Gieseler* Versuch über die schriftl. Ev. 1818.

„multi vocati, pauci electi,“ quae quidem bis quoque apud Matthaeum occurrit, additur „ſicut ſcriptum eſt.“ Sed nolim magnam in illo „ſicut ſcriptum eſt“ collocare fidem. Quum enim Barnabas, quod ſupra cognovimus, ſit facilis et celer in eiusmodi formulis apponendis, quum in V. T. libris vel canonicis vel apocryphis citandis eas addere ſoleat, omittere autem, ſi unum locum exceperis, in iis, quae ad rem Chriſtianam pertinent dictis allegandis; forſan perinde eſt, ac ſi ſcripſiſſet „memini me alicubi legiſſe vel audiviſſe,“ imo, quum ſola vetus illa latina verſio, quae paſſim mutila eſt et interpolata, haec verba exhibeat, quum vix poſſet trita illa, qua ab aliis V. T. loci afferri ſolebant, formula ad libros N. T. transferri, antequam ubique divulgati eſſent et ubique ſimili qua V. T. pollerent auctoritate, quum facile autem potuerit librarius neſcio quis notiſſimo Matthaei proverbio antiquam formulam addidiſſe, verba illa prorſus reiicienda eſſe licet forſan ſuspicari. Quae cui non arriſerint argumenta, is vel ex libro quodam apocrypho [35]), vel ex ipſo Matthaeo verba deſumta eſſe ſtatuat neceſſe eſt. Neque ita infringitur authentia, quum ne de Matthaei quidem evangelio, ſi inde verba deſumta ſunt, poſſit certo demonſtrari, illud diu demum poſt Hieroſolymorum interitum eſſe conſignatum.

Iam vero nos manent, qui ipſa, quae in epiſtola defenſa ſint, dogmata non ita comparata eſſe ſtatu-

35) Conſtat etiam in N. T. Iudae v. 14. provocari ad apocryphum librum Henoch. *Cf. De Wette* Einl. ins N. T. p. 343.

ant, ut poſſit viro apoſtolico illa tribui. Quod ſi poſſet recte probari valde infringeretur authentia. Sed nil attulerunt, niſi unicam rem, in qua ab apoſtolorum fide auctorem epiſtolae disceſſiſſe exiſtiment. Notant enim auctorem epiſtolae in chiliaſtarum incidiſſe errores [36]). Nonnullis quidem, ut ab hoc opprobrio liberarent Barnabam, obſcura huius doctrinae initia indigna ſunt viſa, quibus chiliasmi nomen inureretur [37]). Nam obiter tantum eius rei in epiſtola facta eſt mentio, nec aliud quicquam quod Chiliasmum ſapiat ibi expoſuit auctor, niſi quod locis Gen. 1. et Pſ. 90. copulatis effeciſſe

36) Chiliaſtis Barnabam adnumerarunt e. g. *Peterſen* in nube teſt. verit. lib. II. p. 59. *Gibbon* Hiſt. of the decl. ecc. Chap. 15. T. 2. p. 249. ed. Baſil. *Corrodi* Geſch. des Chil. T. 2. p.

37) *Stäudlinus* (l. c. p. 21 ſqq.) nulla omnino Chiliaſmi veſtigia in epiſtola ſe deprehendere fatetur. Errat autem, quum dicit: „Unter dem ſiebenten Tage verſteht er das ſiebente Jahrtauſend der Welt und ſetzt dabei voraus, daſs es bereits ſeinen Anfang genommen habe. Es fängt aber mit der erſten Ankunft Jeſu auf Erden und dem Urſprunge des Chr. an!!" Nam tempus illud, quod ſabbato Barnabas comparat, et nondum adeſſe ſed imminere diſertiſſime indicat, et ita adumbrat, ut fere iisdem utatur verbis, quibus apoſtoli ſecundam illam Ieſu *παρουσίαν* deſcribere ſolebant: „*καὶ κατέπαυσε τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ· τοῦτο λέγει· ὅταν ἐλθὼν ὁ υἱὸς αὐτοῦ, καὶ καταργήσει τὸν καιρὸν αὐτοῦ, καὶ κρινεῖ τοὺς ἀσεβεῖς, καὶ ἀλλάξει τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην καὶ τοὺς ἀστέρας, τότε καλῶς καταπαύσεται ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ.*" Cap. 15.

putet Deum annorum ſex millibus peractis omnia eſſe conſummaturum et primo quidem Chriſti auſpiciis per annorum millia ſabbati inſtar hominibus requiem largiturum, poſtea alterum mundum eſſe inauguraturum. Unde ſimul apparet, non eſſe, quod virum apoſtolicum talia defendiſſe tantopere miremur. Videmus enim, hanc eius ſententiam haud procul diſtare ab illa *παρουσίας* ſpe, quam dum viverent ratam fore apoſtoli ipſi ſperabant, ſupereſſe tamen haud exiguum diſcrimen ſeriorem Chiliasmum inter et illum, quem defenderet Barnabas, quippe qui de voluptatibus et deliciis ſenſuum ope percipiendis ſomniare, easque more ſeriorum Chiliaſtarum, ut laeta ſe aliosque ſpe exhilaret, vividis adumbrare coloribus indignum adhuc iudicarit. Quae quum ita ſint quis non videt ad tempus, quo Barnabas vixerit, quam bene haec quadrent? Etenim placita eius de regno millenario ſi reſpicimus, apoſtolos inter et Papiam, Iuſtinum ceterosque Chiliasmi defenſores quaſi medium eum adſtare reperimus. Adde, quod eadem qua ceteri Chriſtiani quum uteretur ſorte, fere non potuerit non implicari ſomniis illis, quae haec ipſa varia fortuna ferebat alebatque: quemadmodum enim olim Iudaei [38]), quo magis re vera cruciati eſſent et defatigati, eo libentius ut ceteris ſegnitiei nequitiaeque artibus, ita inaniter ſperandi optandique libidini indulgerent, eundem fere in modum Chriſtiani primaevi, quae de reditu ſuo Chriſtus praedixerat etiam in ſuum commodum male interpretati, dum nubi-

38) *Münſcher* DG. T. 2. p. 439.

la essent tempora, sperando si non optimum certe aliquod sibi quaesiverunt solatium.

Monuimus supra[39]), eam quoque ob causam dubitatum esse[40]), an Barnabae sit nostra epistola, quia acrius ibi sit erga apostolos invectum. Locus hic est: „ὅτε δὲ τοὺς ἰδίους ἀποστόλους ἐξελέξατο, ὄντας ὑπὲρ πᾶσαν ἁμαρτίαν ἀνομωτέρους κ. τ. λ. Contra hanc obiectionem alii iam optime pugnarunt[41]). Adde, quod omnino id Barnabae sit cogitandi scribendique genus, quo sententiarum subtiliora discrimina neque invenire secumque digerere, nec verbis exprimere possit, quum verborum copia et scribendi usu et facilitate destitutus non aptissima possit sententiis suis eligere verba, sed eas velut pannis undique corrasis non aptis vestibus obtectas turpiter in lucem emittere cogatur. Liceat quaerere, qui potuerit, si quis Barnabae personam fuerat simulaturus, is talia loquentem introducere apostolum?

Reliquum est, ut quasdam examinemus obiectiones similes quidem ceteris, sed levioris momenti. Conqueruntur enim, in iis quoque rebus, quarum, quum ad fidem et ad theologiam non pertineant, in epistola obiter fiat mentio, passim nimis erasse auctorem, tantamque in erroribus fabulisque referendis probasse credulitatem, ut Barnabae ista tribuere

39) V. p. 9.

40) *Nat. Alex.* p. 100. *Baumgarten* Auszug der KG. T. 1. p. 516. *Basnage* l. c. *Tenzel* p. 101 sqq. alii.

41) *Orig.* c. Cels. I. extr. ubi v. Moshem. *Du Pin* p. 9. *Le Nourry* apparat. ad Bibl. Patr. Max. p. 4. *Schurzfleisch* Introd. in H. E. Saec. I. p. 62. *Galland* p. XXXII

iniuriae foret [42]). Peccaſſe auctorem in ethnographia, qui cap. 9. Syros, Arabes omnesque idolorum ſacerdotes circumciſos eſſe exſtimaret; peccaſſe in chronologia, qui non die Iovis ſed die Solis Chriſtum in coelum ascendiſſe diceret; peccaſſe denique in hiſtoria naturali, qui de hyaena, de lepore et de muſtela anilia et obſcena nugaretur. Mirum, quod in his refutandis tanta ſolertia elaboraverint viri docti [43]. Mihi melius placet Barnabas, qui gravioribus ſtudiis intentus iſtas res leviter tractavit, quam qui noſtris temporibus eum vituperarunt theologi, putida ſcilicet uſi eruditione, qua de rebus abiectis et turpibus rectius illo ſe ſentire iactant. Certe ſi quid in minutis rebus admiſit Barnabas mallem cum Clemente Alex. [44]) modeſte quidem contradixiſſent, ſed non minus tantum virum coluiſſent. Ceterum quae de circumciſione ſentit Barnabas, in iis propius eum ad verum accedere, quam qui metuentes, ne V. T. contradicerent, apud unicos Iudaeos hunc morem invaluiſſe contenderunt, recentiorum in hac re

42) *Nat. Alexander*, *Tillemont*, *Ceillier*, *Stolle*, *Walch*, *Pertſch*, *Leſſ*, *Schröckh* etc. l. c. Contra hos *Iſaac Voſſius*: „Quis a primis illis Chriſtianis omnigenam ſcientiam et doctrinam expoſtulet? quis illos non aeque hallucinatos exiſtimet, atque eorum nepotes, praeſertim in rebus nihil ad fidem pertinentibus?“

43) *Nat. Alexander* cum *Oudinio* ex Ariſtotele, Plinio aliisque Barnabam redarguit, quem defendit *Fleury* H. E. p. 262 (Ed. Brux. 722): L'apôtre ſuppoſe ce que l'on croit communement, ſans approfondir la verité de l'hiſtoire naturelle.

44) *Clem.* Paedag. II, 10.

opera demonſtratum eſt [45]. Diem autem ascenſionis quod attinet, ſi quidem apud Hebraeos quadragenarius [46]) eſt numerus rotundus, forſan etiam in his rectius ſenſit Barnabas, quam Papebrochius.

Meminerimus iam ex iis quae expoſuimus quid efficiatur, et ſiquidem in eo hucusque plurimum eramus occupati, ut quae contra authentiam monita ſint, ea nullius eſſe demonſtraremus, iam his addamus, quae deprehendimus in ipſa epiſtola veſtigia, quibus Barnabam auctorem eius eſſe fiat probabile.

In quo ſtatim illud quod modo attigimus non omittendum eſſe videtur, quod ipſa epiſtola nullo in loco adiuvet ſuspicionem fraudis in illa componenda commiſſae. Qui Barnabae fuerat acturus partes, is ſane ſparſiſſet paſſim, et in ſuam rem vertiſſet, quibus Barnabam auctorem eſſe videretur confirmari; mentionem feciſſet rerum, quae ad eum propius pertinerent, appoſuiſſet more apoſtolorum in ſalutatione Barnabae nomen, locutus fuiſſet de Paulo, de mutua ſimultate, de itineribus cum illo inſtitutis et ſimilia; idem facile incidiſſet in aliquem anachroniſmum et quae forſan in fraude ſua ſequeretur prava ſtudia, ea haud ſemper bene celaſſet. Iam ponamus, nos ignorare epiſtolae quis ſit auctor, neque antiquitatis conſenſu

45) Cf. *Michaelis* moſ. Recht T. 4. §. 185. *De Wette* hebr. Archaeologie. §. 150. *Winer* Reallex. p. 99.

46) *Act.* 1, 3.

id nos esse edoctos, nec recentiorum obiectionem nobis esse examinatam et illustratam, quemnam eius auctorem esse suspicaremur? Vidimus de tempore, quod non diu post Hierosolymorum scripta sit interitum: accedunt etiam in eo authentiae adversarii omnes, antiquissimam esse epistolam: adde, quod licet ex quadam scriptoris infirmitate et ex loco quodam cap. 1 suspicari, senem esse, qui loquatur. Vidimus quoque, si formam epistolae spectes, in genere dicendi nihil inesse, quod seriorem aetatem redoleat: adde, quod eodem modo atque apostolicae epistolae in duas partes sit divisa, iisque etiam in eo sit simillima, quod scriptor erga eos ad quos scribit eadem mirifica utatur lenitate et pietate ab omni hierarchico fastu adhuc aliena. Vidimus etiam nihil inesse doctrinae in epistola defensae, quod ab apostolorum dogmatis sit alienum [47]), plurimique ex quo iterum detecta est de hoc consensu nec dubitarunt atque adeo gavisi sunt [48]): imo inter ipsos apostolos, quo-

47) *Lücke* Canon des Euseb. p. 27. Auch *Eusebius* muss im Briefe des Barn. den apostolischen Charakter und Inhalt erkannt haben, sonst würde er ihn ja nothwendig zu den ἀτόποις gezählt haben müssen. Cf. *Ge. Bull* defens. fid. Nic. p. 30: „Certe auctorem primae antiquitatis fuisse evincunt phrases apostolicae aetati propriae, styli simplicitas ac denique haereses ab ipso impugnatae, illae tantum, quae sub ipsis Apostolis pullularunt.“ *Pearson* Lect. 10 in Act. *Maderus* in Edit. Barn. p. 6. *Fell* praef. edit. Oxon. *Lange* DG. T. I. p. 59. *Thilo* in *Ersch.* et *Grub.* Encycl. s. v. *Barn.*

48) „Illud potissimum animadvertere iuvarit, e Barn. epistola ecclesiam cath. praesidii plurimum petere ad Unitariorum impietatem evertendam.“ Ita *Galland.* p. XXXV.

rum Petrum re Iudaica diu implicatum haeſiſſe ſcimus, liberaliori quam defendit eminet ſentiendi ratione, quum non in aliud acrius invehatur, quam in Iudaizantium inveteratam ambitionem. Accedit quod idem huius epiſtolae auctor commendat [49]) veterem illam bonorum communionem, quae tamen ad antiquiſſima tempora pertinet, et cui ſubeundae promptum ſe praebuiſſe praeter Barnabam fere audiamus neminem; praeterea etiam niſi hoc argutius monemus vel ipſam epiſtolae inferiorem virtutem non ſolum in ipſis ſententiis, ſed magis etiam in elocutione conſpicuam [50]) optime forſan quadrat ad Barnabam, ſi quidem is orationum habendarum negotium, quum ipſe id ignoraret, Paulo reliquerat. Quid igitur veterum teſtium de epiſtola conſenſui accedere dubitemus?

Unum addere liceat. Apparet plurimos de authentia epiſtolae propterea dubitaſſe, quod incredi-

49) *Barn.* Epiſt. Cap. 19: „Κοινωνήσεις ἐν πᾶσι τῷ πλήσιόν σου, οὐκ ἐρεῖς ἴδια· εἰ γὰρ ἐν τοῖς ἀφθαρτοῖς κοινωνοὶ ἐστὲ, πόσῳ μᾶλλον ἐν τοῖς φθαρτοῖς;“

50) Ita *Henke* KG. T. 1 p. 100. (Ed. 4.) In quem eam ob cauſam acriter invectus eſt *Hortig* KG. T. I. 1826. p. 188. ſed non ſatisfecit cenſori cuidam, (*Tübing. Quartalſchr.* 1827. Sect. 1. p. 95.) eloquenter ſane de libro illo ſic iudicanti: „Wer dieſs Buch brauchbar machen kann (dixerat enim *Hortigius*: es wäre zu wünſchen, daſs ein Katholik dieſs Buch für ſeine Glaubensgenoſſen brauchbar machte) iſt im Stande eine eigne Kirchengeſchichte zu ſchreiben. Rec. hält den Kern und das Weſen deſſelben für faul und ſolche Bücher kann man nicht umgeſtalten.“

bile illis erat visum, librum inferioris notae profectum esse a tanto viro, tam strenuo evangelii propugnatore et defensore. Nolim cogitet quis, me minoris habere quae vir ille de re Christiana optime promeruerit. At non omnia possumus omnes. Qui „ἁπλοῦς τῇ καρδίᾳ καὶ πλούσιος τῷ πνεύματι" quam aliis commendatam voluit viam lucis [51]) ipse vita etiam factisque praeclare monstravit, neglectaque qualem alii sectantur vitae tranquillitate et placida hilaritate propagando evangelio animum vitamque omnem sacram esse voluit, licuit ei sane mediocri esse scriptori. Cui si non contigerit mihi vindicare epistolam illam inconcinne quidem scriptam, sed insignem suavemque ob candidam atque piam quam spirat scriptoris mentem, rogatos velim aequos iudices, ut benevole sibi persuadeant, non meo forsan id evenisse vitio, sed pertinere huc illud quod nuper professus est vir quidam κριτικώτατος [52]), posse quidem interdum persuaderi de libri alicuius νοθείᾳ reluctanti, de authentia non posse.

---

51) *Barn.* Epist. Cap. 19.

52) *Boeckh* in Philolao, p. 2.